

FORTVNII LICETI
GENVENSIS
In Patauino Lyceo Philoſophi Ordinarij.

DE PROPRIORVM OPERVM HISTORIA
LIBRI DVO.

AD GABRIELEM NAVDAEVM
CHRISTIANISSIMI REGIS CONSILIARIVM,
Eiuſdemque Oratorum ad Sum. Pontificem
Medicum Ordinarium.



Patauij. Typis Paulli Frambotti. M. DC. XXXIV. Superiorum Permiſſu.

GABRIELI NAVDAEO

Chriſtianiſſimi Regis Conſiliario,

Euſdemq; Oratorum ad Summum Pontificem Medico Ordinario

Fortunius Licetus B. A.

SI *Chryſippus ille, Stoicorum iubar, quod ad æmulationem Epicuri plurima volumina conſcribere ſatageret, olim a Carneade, M. Tullij teſtimonijs Græcorum eloquentiſſimo, nobili quadam licet inaudita metaphora, ſolebat audire* Librorum Paraſitus: *id ipſum hoc tempore multo potiori ratione de te dicere debemus (eruditiſſime Naudæe) qui* Librorum Helluo, *volumina legens innumera, volumina noſcens innumera, nouiſque voluendis, verius dixero vorandis, & edendis anxius inhians aſſidue, nulla codicum multitudine ſatiari potes. Qui quidem* πολυαναγνώςης *Genius tuus vt Eminentiſſimum* Principem *IO: FRANCISCVM ex Comitibus Guidijs Cardinalem a Balneo, vere* Patrem *eruditionum, optimumque* Cenſorem *Litteratorum, atque munificum Studioſorum* Patronum, *Herumque communem pridem illexit ad te ſuos intra Lares cum alijs viris eruditis accipiendum, inſtructiorique ſuæ Bibliothecæ præficiendum: Ita me nunc de propriorum operum Hiſtoria longe alia cogitantem potuit exorare; non enim meo nutu, ſed tuo ductu, impulſuque, ac tantum non inuita Minerua chartea meæ ſupellectilis hanc Hiſtoriam condidi. Quæ quum tibi, palatum ſatis delicatum habenti, non diſpliceat; fortaſſe concoqui poterit ab alijs, qui non ita firmo ſtomacho ſunt inter Dipnoſophiſtas, Hoc quicquid eſt, a te potius impulſore mei ad ſcribendum, quam ab Autoris calamo Studioſi recipere debebunt. Vale V.* Cl. *& me amare ne ceſſes. Dat.* Patauij. *In Muſeo noſtro Scalumnæ.* Calend. *Septemb. MDCXXXIV.*

FORTVNII LICETI
Genuenſis

De Propriorum Operum Hiſtoria

Liber Primus:

In quo tractatur de libris proprijs hactenus impreſsis, patefacta præſertim materia conſiderata, occaſione ſcribendi, ac tempore, locoque impreſsionis.

PRAEFATIO.

EN tibi tandem, eruditiſſime Naudæe, tamdiu exoptatam, ac toties efflagitatam, non a te ſolum, ſed etiam a quam plurimis alijs meorum operum Hiſtoriam: quum enim frequentioribus litteris clariſſimorum virorum ſæpenumero catalogum mearum lucubrationum iam typis cuſarum poſcentibus interpellari conſueuerim; & a peregrinis Impreſſoribus non raro poſtuler an aliquæ nondum editæ commentationes apud me reperiantur; & quodnam argumentum in ijs explicatum habeam: vt ſemel Amanuenſem meum liberem ab iterata frequentius libellorum deſcriptione; ſed potiſſimum vt ardenti deſiderio tuo ſatisfaciam, Amice vir, iam de proprijs operibus Hiſtoriam breuem aggre-

dior

dior contexere: quin etiam vt meorum ſtudiorum aliquam rationem redderem ſummis viris, eam a me audire cupientibus: Galenũ, Cardanum, & alios inſignes Autores imitatus; qui quum plurima ſcripſiſſent, de libris proprijs peculiarem tractationem poſtulantibus Amicis ediderunt. Seorſum autem de Voluminibus editis, promulgatiſue, ac de promulgandis acturus, duos in libros Hiſtoriam Vniuerſam partiri decreui; priore libello tractaturus de codicibus iam prælo cuſis, & hactenus inuulgatis; poſteriore de his, qui tum in præſentia ſub manu ſunt Impreſſoris, tum manuſcripti cudendi ſeruantur Typographi laborem præſtolantes in meo Muſeo.

Age nunc Summo Deo bene fauente, negocium hoc aggrediamur.

Trium librorum de Ortu Animæ Humanæ Hiſtoria Prima.

DEcimum-octauum *a* ætatis annum quum agerem, a Patre meo Ioſepho Liceto, Genuæ Medicinam magna cum ſui laude faciente, Bononiam miſſus ad Philoſophiæ ac Medicinæ ſtudia colenda, doctiſſimo viro Medicinam in patrio Gymnaſio publice docenti, Æneæ Vizanio, patricio Bononienſi commendatus, apud ſapientiſſimum Ioannem Coſtæum Laudenſem, ex illuſtribus Dominis Alteſani ſuperioris, & Caſalis Burgoni Pedemontium, tunc in Vniuerſitate Felſinæa Medicinæ Theoricæ ſupraordinariæ Profeſſorem, Philoſophiæ ſimul ac Medicinæ ſtudijs, quorum prima rudimenta domi cæperam a Patre, ſedulam operam nauare ſatagebam, ſtudioſiſſimi Præceptoris monitis, & exemplis incitatus: etenim Coſtæus aſſiduus erat in euoluendis, edendiſque libris, quotidie ſeu latrante Sirio, ſeu rigente bruma, nedum temporibus temperatioribus antelucanas horas plures contemplationi tribuens. Ceterum eo ſummo viro poſt primum ſenium e viuis vi febris acutæ *b* depulſo, paullo *c* poſt, bono meo fato, e Laribus eminentis Medici mihi patuit aditus in contubernium Supraordinarij Philoſophi Federici Pendaſij, probitate non minus, quam doctrina ſpectatiſſimi; quorum memoriam in filij mei primogeniti Ioannis-Federici nomine ſemper ore colere ſtudeo. Hos apud Sapientiæ,

a cal. Ianua. 1695.

b 1598. 27. *Aprilis hora. 2 noct.*

c 1598. 8. *Iunij.*

tiæ tunc ſummos dictatores dum adoleſcens erudiebar, & a Genitore ſuſcepta doctrinæ Philoſophicæ, Medicæque ſemina diligentiore cultura tractabam, venaturus aucupio nobili ſupra deſtinatam in ſingulos menſes pecuniam a Patre meo mihi nonnihil emolumenti, meditor erudito doctoque Parenti fructum aliquem ingenij mei mittere veluti lenocinium optatorum numorum: arreptaque capillata fronte præterfluentis occaſionis Paterni dialogi, quem ipſe *De genitalium vſu & dignitate* nuper Etruſco vulgauerat idiomate, ſub titulo *Ceuæ*; in quo de Anima Seminis nonnulla diſſeruerat, commentationem quamdam ſcriptis *De Anima Seminis Humani*, quam, iuuenili menti tunc decore d placente nomine Græcanico, *Gonopſychanthropologiam* inſcriptam, ad Parentem tranſmiſi: Delectatus ille mirum in modum libello filij (quæ parentum eſt omnium erga gnatos affectio) pluribus Medicis preclaris ipſum legendum præbuit, ſeu filij progreſſus in litteris apud eos oſtentaturus, ſeu potius illorum iudicium non corruptum amore ſibi comparaturus; amor enim, perinde ac odium, vt ait in e Centiloquio nuncupato Ptolemæus, iudicium corrumpit; quum ambo pariter augeant minima, minuantque maxima: Illi vero viri viſo tractatu, vno iam ore omnes laudare; ſed ipſum adoleſcentis ingenij vires longe ſuperare; ac eſſe partum aut Coſtæi defuncti ſurreptũ, aut Pendaſij neglectum, ipſorum alterius genuinum, Iuueni Fortunio ſuppoſiticium non ſuſpicari modo, ſed aperte profiteri. Quorum ſapientum hominum cenſuram, a Patre mihi per litteras nunciatam, ego mihi conſcius de genuino labore, ſummis gaudijs excepi: ſed tamen interim angebar de mea non bona viros apud inſignes exiſtimatione: Quamobrem educturus ex eorum animis omnem plagij ſuſpicionem, reſumptum in manus libellum ad incudem iterum reuocaui; dumque in ea ſpeculatione pertractanda moror, Pater letali morbo correptus me Genuam accerſiri iubet; Bononienſe ſtudium quinquennale triſtis deſero, Genuamque repeto mœſtiſſimus, Genitore iam vita functo, & f biduum humato: Ibi paullo g poſt Laurea Philoſophico-Medica donatus a venerando Collegio, cui Rector præerat Iulius Guaſtauinius, promotore meo Alexandro Pagio, Patricio vtroque Genuenſi; compoſitis neſcio an diſſolutis rebus dome-

d *Senec. ep. 59*

e *init.*

f 1599. *men. Octob.*

g 1600. 23. *Martij.*

meſticis poſt infelicem Nouercæ caſum ex altiſſima feneſtra domus, Bartholomæi Turriani Medici Clariſſimi, meique Mecœnatis perſuaſu, & opera Roderici a Fonſeca, bene fauente Carolo Antonio Puteo Archiepiſcopo Piſano, litterarum Patrono, Piſanam Academiam [h] ingredior Logicam publico ſtipendio docturus: Quam Spartam dum exorno ſucceſſu ſatis felici, philoſophicum volumen alacriter vrgeo, & mutato nomine De Anima ſeminis humani, volumen inſcribo *De Ortu Animæ humanæ*: quod vtcumque completum inſigni Philoſopho Franciſco Bonamico, viro ſolide docto, Piſis eo tempore Phyſiologiam publice colenti, cuius vtebar intima familiaritate, quum ingenua cenſura notandum dediſſem; ille doctrinam operis approbare, ac prælo dignam aſſeuerare; meque pluribus ad hoc præſtandum animare, ac incitare: Huius inclyti viri iudiciũ audiens Turrianus patronus meus, illico volumen a me, Genuam æſtiuis ferijs reuerſo, ſuſceptum Typis Ioſephi Pauonij cudendum tradidit; e quibus prodijt anno [i] MDCII. iure merito dicatum hero Turriano: vulgat ipſe libros proprio ſumptu cuſos; quorum varia fuere iudicia; plurimi laudare tum voce, tum ſcriptis; Mundinus Mundinius Vicetinus Medicus vnus omnium carpere ſcribens *De Genitura*; cui reſponſum dare non opus eſſe duxi; quum animaduerterem facile cuiuis eſſe perſpicere propoſitas ab eo viro difficultates, non eſſe meorum dogmatum expugnatrices. Ceterum qui primum Genuæ cuſi fuerant de Ortu Animæ Humanæ libri tres in forma quarti folij, recuduntur non multo [k] poſt Francofurti apud Ioan. Saur. ſub octaui folij ſpecie. Scopus in ijs eſt oſtendere, Vnde, Quomodo, & Quando proueniant humano fætui, matris in vtero degenti, ſingulæ partes animæ humanę; quæ nobis conſtitui ponitur, ac probatur ex vegetali, ſenſitrice, ac rationali: Primoque libro ſententiæ Scriptorum aliorum examinantur: in ſecundo propria proponitur, explicatur, & confirmatur: in tertio difficultates eluuntur, quæ traditis antea dogmatibus negocium faceſſere videntur: Doctrina eſt pure Peripatetica, ſexaginta folijs integris exarata.

h 1600. 3. N.

i 18 *Octobr.*

k *an.* 1606.

Peripateticorum, Medicorumque placitorum Hiſtoria. II.

PIſis a Logico munere, cuius culturæ vnicam Olympiadem dederam, promotus anno ſæculi Chriſtiani ſexcenteſimoquinto ſupra milleſimum ad Ariſtotelis Naturalem Philoſophiam explicandam, inter ceteros indolis egregiæ iuuenes Auditorem aſſiduum habui, quin & contubernalem Papirium Caballettum Scandianenſem; qui quum optaret publice defendendas theſes diſputationi proponere depromptas ex Ariſtotelicis, & Galenicis dogmatibus; adoleſcenti ſublimis ingenij duodetriginta capitibus libellum contexui, ſub titulo, *Peripatetica Medicaque Placita*. Qui ſummo cum ſui honore, magnaque cum Auditorum admiratione, ſubtiliſſimis diſputantium argumentis ſolida reſponſa dedit, aſſiſtente me quidem (nam diſputatio habita fuit extra ſcholas publicas in Eccleſia Sancti Nicolai) ſed ſemper ſilente; quoniam ipſius doctrina, nullius auxilij prorſus indiga, ſibimetipſi ſuffecit ad propoſita theoremata propugnanda: Quæ non ſolum Ariſtotelis præcepta plurima Logica, Phyſiologiá vniuerſam fere, Metaphyſicæ magnam partem, ac Moralis Philoſophiæ multum complectebantur; ſed etiam Galeni doctrinam ſatis attingebant; vtriuſque facultatis præcipuis Quæſtionibus in diſputationem conuocatis. Opuſculum typis impreſſum eſt Genuæ apud Ioſephum Pauonium, anno Domini MDCV, in forma quarti folij, nuncupatum a Studioſo Iuuene, ſic me permittente, Marchioni Scandianenſi Domino ſuo. Theſes diſputatæ Piſis Menſe Martio. Liber ſex folia continet integra.

Trium librorum de Vita Hiſtoria III.

POſt hæc autem quum verſarem lepidum pariter ac doctum alium dialogum Ioſephi Liceti Patris mei, dudum a ſe Scholam Bononienſem adhuc frequentante coagmentatum, & editam Italico ſermone, ſub titulo, *La Nobiltà de' Principali Membri dell'Huomo*; comperiſſemque in eo ſcribi Vitam non eſſe quid quod influat a corde in ceteras corporis noſtri partes; in mentem venit ex rei natura diſquirere Vi-

tæ

tæ cum generatim, tum etiam ſpeciatim acceptæ in ſingulis animantium generibus naturam, eſſentiam, operationes, & proprietates: operique manum admouens tribus libris vniuerſam contemplationem diſtinxi: quorum primum, iuxta [a] præceptum & [b] morem Ariſtotelis, alienis opinionibus exacte diſcutiendis aſſignaui; in ſecundo propriam ſententiam attuli, comprobauique, diligenter agens de Vita tum in communi, tum ſpeciatim de Vegetali ſeu Plantali, de Brutali, de Humana, de Cæleſti, & de Mundana; ſingularum ſpecierum Vitæ propoſitarum definitiones, operationes, & conditiones aperiens pro virili: demum in tertio plurima quæſita, difficiliaque circa pręcedentium librorum ſententias contingentia determinare tentaui. Qui huic operi contradixerit, neminem hactenus ego vidi; pleroſque tamen noui, qui non meum, ſed Federici Pendaſij, quo Præceptore glorior, aſſerere non dubitauerunt: inter quos diu fuit Ceſar Cremoninus, in Patauino Lyceo non ita pridem ad plures annos Collega meus, eiuſdem Magiſtri diſcipulus antiquior: ſed poſtea videns e meo calamo non diſſimilia volumina plura in dies prodire; animaduertenſque ſtilum, & ſententias plurimum ab oratione, atque ab opinione Magiſtri communis abſcedere, abiecta prorſus omni ſuſpicione furti litterarij, meos mihi labores concedere coactus eſt. Opus Piſis a me conditum, Genuæ cuſum anno ſalutis M D C V I. prodijt e Typographia Ioſephi Pauonij medio menſe [c] Octobri, ſub forma quarti Folij. Triplicem habuit dedicationem; etenim primus liber Sereniſſimis Ferdinando, & Chriſtinæ Magnis Ducibus Etruriæ conſecratus; Secundus Carolo Antonio Puteo Archiepiſcopo Piſano dicatus; tertius Camillo Boerio Genuenſi Philoſopho Medico Clariſſimo, viro mei amantiſſimo nuncupatus prodijt in lucem, aſcendens ad folia centum & nouem cum dimidio: totum volumen impreſſum eſt expenſis Boerianis.

a 3. meta. t. 1.
b 1. de an. t. 19
c die 14.

Quatuor librorum de his qui diu viuunt ſine alimento Hiſtoria IV.

DEinceps autem quum Piſis etiamnum Philoſophus agerem inter Sapientiæ publicos Interpretes, anno Do-

num MDCIII. puella Lunenſis agri diuturno ieiunio famigerabilis, iuſſu Magnæ Ducis Chriſtinæ, Theologis, Philoſophis, ac Medicis oblata fuit in contemplationem; numquid adeo longæ abſtinentiæ vera cauſſa poſſet inueſtigari: Conuenientibus omnibus ad conſultationem, & varijs opinionibus in omnem partem allatis, coniecturis actum eſt; nihil omnino certi determinatum. Ab eo tempore ſemper animo rationem tam admirabilis euentus perquirere ſatagens, interim conſultis autoribus de propoſito peragentibus, poſt annos plures elaboratum eſt a me plurimarum vigiliarum Opus, quod inuulgaui Patauij legens anno Chriſtiano MDCXII. ſub titulo *De his qui diu viuunt ſine alimento*, diſtributum in quatuor libros; in quorum primo quamplures Abſtinentium hiſtorias attuli ex probatis Autoribus ad veritatem ſubiecti ſiue argumenti comprobandam: in ſecundo varias opiniones inſignium virorum expendi ad veritatem propoſiti proſpiciendam; in tertio propriam ſententiam de cauſſis diuturni Ieiunij diligenter exprimere, comprobareque ſtudui; & in quarto demum enodaui difficilia, quæcumque rebus antea determinatis obſtare videbantur. Huic operi coronidem impoſui Patauij Philoſophiam publice docens; ibidemque typis excuſum impenſis Petri Bertellij bibliopolæ, folia centum & ſeptem cum dimidio repleuit. Dicaui volumen Andreæ Mauroceno Senatori Veneto, qui Patauini Gymnaſij Moderator anno MDCIX. cum Collegis Triumuiris Litterarijs, me Patauinam ad Cathedram Philoſophiæ primam extra ordinem e Piſano conſimili ſubſellio vocauerat, atque traduxerat. Hos libros quum plerique viri docti collaudarent vnanimes, tres reprehendiſſe videntur; duo quidem aliqua in parte, tertius vero penitus; nam egregius Medicus Io. [a] Dominicus Sala placitum in eis de viuentium, ſeu miſtorum corruptione a cauſſa interna; & non obſcurus Theologus [b] Aloyſius Albertus, alterum dogma de caloris habitudine ad humorem a me poſitum reprobare nititur; qui duo viri morata diſputatione rationibus agunt; quibus reſponſum dedi in opere de [c] Reconditis Antiquorum Lucernis: at quidam Stephanus Rodericus de Caſtro Luſitanus, non Hebræus ille Amburgenſium Medicus, aſt alter eiuſdem nominis & cognominis, nunc etiam Piſis Medicinam

a *art. med. c. 9*

b *de operi. ſex dier. lec. 25*

c *lib. 3. cap. 19 & lib. 4. c. 28.*

dicinam theoricam publico ſtipendio legens, edito libello *De Aſitia* inſcripto totum meum volumen conuellere conatus eſt iurgijs potius quam argumentis: cuius procacem dicacitatem Nemeſis mea caſtigauit in opere de Ferijs Altricis Animæ; de quo ſuo loco fuſius infra. Daniel autem Sennertus, vir æuo noſtro celeberrimus, etſi videatur, nonnullis huius operis dogmatibus aduerſari, tamen noſtræ ſententiæ plane ſubſcribit inquiens, [d] *& nihilominus compertum ſit, quoſdam ſine cibo diu vixiſſe: hoc iam inueſtigandum eſt, quæ cauſſa fuerit, cur in talibus nulla inſtauratione opus fuerit: Rectiſſime autem hic reſpondetur, hoc ideo factum, quia nihil abſumptum fuit, aut certe non niſi longo tempore aliquid abſumptum fuerit. Atque ita primaria quæſtio in hac controuerſia hæc emergit, cur in nonnullis corporibus nihil diſcutiatur, aut abſumatur, vt nullo alimento, quo aliquid deperditum inſtauretur, opus ſit.* & mox. *Atque ita diuturnæ abſtinentiæ cauſſa eſt humidi ad calorem ea proportio, vt illud ab hoc non niſi longo tempore abſumi poſſit.* & paucis adiectis. *Si ergo etiam in homine humidum illud pingue & oleoſum, quo calor innatus, tamquam flamma oleo, alitur, ita diſponatur, vt a calore non abſumi, vel non niſi tarde abſumi poſſit, & nihil vel parum diſſipetur, etiam nullo alimento opus eſt. etenim partes tum non attrahunt e venis, quia ipſis nihil deeſt.* Quæ ſunt cauſſæ diuturnæ abſtinentiæ perſpicuis verbis a nobis [e] relatæ. Licet vir eruditus falſo ſupponat nos exiſtimaſſe diuturno ieiunio claros fuiſſe ſanos homines integra valetudine gaudentes; qua de re litigat; nobis non officiens, qui eos inter corpora neutra, & morboſa collocauimus.

d *3. prac. med. part. 1. ſec. 2. cap. 2.*

e *3. de his qui diu vi. 5. al. cap 51. 52. 55. & ſeqq.*

Duum librorum de Animarum coextenſione corpori Hiſtoria V.

AGebatur annus Domini MDCXV. dum mihi legenti publice librum ſecundum Ariſtotelis de Anima declarandus erat contextus XXI. in cuius explicatione quum paullo latius comprobare ſtuduiſſem, Animam intellectricem nihilominus corpori toti coextenſam eſſe, quam ſit Vegetalis, & Senſitiua; varijs Auditorum animis acceptum fuit hoc theorema; quia doctiſſimo viro Don Alexandro Maffeio Clerico Regulari (qui tum forte meum Auditorium præſens illuſtrabat) non ita facile probabatur; e contra vero

Don . . . . Niger eiuſdem Regulæ Sacerdos, eo tempore celeberrimus in Cathedrali Patauina Concionator, cuius itidem præſentia de ſuggeſtu dicens honeſtabar, meam opinionem collaudabat, ac tuebatur. Hoc talium virorum diſſidium cum a Io: Benedicto de Ferrarijs Patricio Genuenſe mihi nunciatum fuiſſet; e re mea duxi problema tractare diligentius; & proxime ſequentibus æſtiuis vacationibus a legendi munere publico duos compegi libellos *De Animarum Coextenſione corpori*; quorum prior ex rei natura, & ex Ariſtotele comprobat ſingulas animas coextendi corpori ſibi ſubdito, non autem in vna tantum illius parte principe contineri: poſterior diſſoluit omnes dubitationes, quibus contendunt oſtendere viri docti rationalem animam, ad ſenſiticis & vegetatiuæ diſcrimen, non eſſe toti corpori coextenſam. Editum eſt opus foliorum decem in quarto folij: curauit proprijs ſumptibus imprimendum Petrus Bertellius anno Chriſti MDCXVI. Vulgatum eſt Calendis Aprilis. Dicatum Antonio Priolo Gymnaſij Patauini Moderatori, paullo poſt in Ducem Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ creato. Contradictorem hic liber habuit Mundinum Mundinium in opere ſuo de Genitura; cui non duxi neceſſarium eſſe reſpondere; quod eius obiecta facile dilui valeant inſpecto vero ſenſu meorum dogmatum.

Libri de Perfecta conſtitutione Hominis in vtero Hiſtoria VI.

AGgreſſurus contemplationem de Monſtris, animaduertens vniuerſam Monſtrorum eſſentiam ſitam eſſe in lapſu Naturæ quomodocumque impeditę ne rectum opus efficere poſſit; errorem hunc Naturæ genitricis dignoſcere ſatis non valebam, niſi prius introſpecta eiuſdem Naturæ perfecta operatione; quoniam vt rectum eſt [a] index ſui, & obliqui; ſic priuationes non niſi per [b] habitum introſpici queunt: Quare tractaturus ex arte de Monſtris, præmittendam cenſui Commentationem *De Perfecta Conſtitutione Hominis in Vtero*: quam vnico libello complexus, ad Nicolaum Contarenum Senatorem Venetum Gymnaſij Patauini Moderatorem, ac tandem Sereniſſimæ Reipublicæ Principem inauguratum inſcripto. Prodijt volumen foliorum vnde viginti

a 1. *de an. t. 85*
b 3. *de an. t. 25.*

ginti ſub ſpecie quarti folij eodem anno MDCXVI. Calendis Aprilis e Typis, ære Petri Bertellij. Contradictorem habuit eumdem Mundinum Mundinium, Venetijs Medicinā facientem; qui licet fere totum quartum librum ſuæ diſputationis de Genitura ſcripſerit aduerſus mea dogmata in hoc libello propoſita, non tamen ideo me trahere potuit vnquam ad reſponſionem vllam; quõniam etiam hic viderim ipſius conatibus meas theſes non expugnari; quibus accurate totum opus facultatis formatricis, ac generatricis in vtero pertracto; proindeque libellum non indigere nouæ meditationis auxilio.

Duum librorum de Monſtrorum Natura, Cauſſis, & differentijs Hiſtoria VII.

PAtefacta iam perfecta Naturæ generantis animantia functione, potiſſimum in Humano fœtu procreando; ſtatim opus de lapſu ac impedimentis Naturæ Monſtra generare coactæ vrgere cœpi; & ad vmbilicũ eodem anno MDCXVI. perduxi ſub titulo *De Monſtrorum Cauſſis, Natura, & Differentijs*, in duos libros diſtributum; in quorum primo de Monſtris generatim agitur, in ſecundo diligenter tractatur de Monſtris Humanis. Volumen Sereniſſimo Genuenſium Duci Bernardo Clauaritiæ dicatum: typis Gaſparis Criuellarij Patauij cuſum in quarti folij ſpecie, viginti tria folia complens, Calendis Auguſti publicatur. Contradictorem habuit neſcio an dicam ſugillatorem de Caſtro quẽdam Medicum Luſitanum in opere ſuo de *a* Meteoris Microcoſmi; cui reſponſum dedit non ita pridem mea Nemeſis in *b* diſputationibus de Ferijs Altricis Animæ. Sed ex aduerſo doctis viris adeo placuit meditatio noſtra, vt eius exemplaria cuncta breuiſſimo temporis interuallo e bibliopolarum officinis erepta non amplius venum proſtarent; & frequentiſſimis poſtulationibus efflagitata Paullum Frambottum Bibliopolam, & Typographum inſignem impulerint ad opus denuo cudendum adiectu pulcherrimarum imaginum ænearum, pluriumque meditationum a me recens habitarum. Quod volumen auctum ad folia triginta octo ſecundo prodijt in lucem longe venuſtius anno Domini MDCXXXIV. dica-

tum

a *lib. 2. cap. 3.*
b *diſp. 25. 26.*

tum Eminentiſſimo Principi ex Comitibus Guidijs Io. Franciſco Cardinali a Balneo, Hero meo ſingulari.

Quatuor librorum de Spontaneo Viuentium Ortu Hiſtoria VIII.

AGgreſſus iampridem difficillimam contemplationem de cauſſis & origine viuentium illorum, quæcumque vulgo dicuntur oriri ex putri materia; multis vigilijs deinceps in eam incumbere ſatagens; denique poſt plurium annorum improbum laborem, aliorum operum textura ſæpius interruptum Opus *De Spontaneo viuentium Ortu* quatuor libris diſtinctum ad exitum perduxi: quorum primus opiniones alienas fuſius examinat; ſecundus omnes cauſſas ortus ſpontanei viuentium generatim ex rei natura depromit; in tertio ſpecies omnium ſpontenaſcentium animatorum ſeorſim explicantur; quartus demum difficultates, & quæſtiones circa propoſita contingentes diluit, atque determinat. Opus maiori forma foliorum nonaginta trium Vicetiæ cuſum typis Dominici Amadei, prodijt in lucem Calendis Iunij MDCXVIII. conſecratum Laurentio Iuſtiniano Senatori Veneto. Contradictorem habuit Antonium Ponce Sanctacrucium Archiatrum Regis Catholici in opere De Hippocratica Philoſophia: cui viro reſponſum dedi non ita pridem edito libello de Anima ſubiecto corpori nil tribuente: deque Seminis vita, & efficientia primaria in conſtitutione fœtus: verum in quo reprehenditur opus a Sanctacrucio, viciſſim laudatur a docto [a] Sennerto, dicente, *Qua ratione autem in inteſtinis vermes generentur, a multis prolixe diſputatur: quæ mea ſit ſententia lib. 3. Inſtit. pag. 255. & de Chymic. cum Ariſt. & Galen. conſenſu & diſſenſu cap. 2. expoſui: quam iam confidentius tueor, quum pluribus eam defendere videam Philoſophum doctiſſimum Fortunium Licetum in libro de Spontaneo viuentium Ortu.*

[a] 3. *lib. pract. med. par. 2 ſect. 1. ca. 5*

Quatuor librorum de Lucernis Antiquorum reconditis Hiſtoria IX.

VIx e tenebricoſa Spontaneæ Viuentium Originis ſpeculatione me receperam, quum ſtatim Genius abdita me-

meditandi cupidus me trahit, ſeu trudit in obſcuriorem contemplationem Antiquiorum Lucernarum, quæ recens inuentæ ſunt ardentes adhuc a multis annis intra terræ tumulos, nulla noui fomitis adiectione tamdiu conſeruatæ. Diuturnis vigilijs ad haſce Lucernas e tenebris intellectus eruendas elucubraui tamdem Opus inſcriptum, *De Lucernis Antiquorum reconditis* libri quatuor; in quorum primo diligenter earum detectarum varijs locis, ac temporibus hiſtoriæ plures afferuntur: in ſecundo diuerſæ clarorum Autorum opiniones de cauſſa tam admirandi Luminis expenduntur: in tertio cauſſæ veræ deteguntur ex rei natura mirabilis huius euentus: in quarto demum occurritur dubitationibus plurimis; quæſtioneſque multæ circa propoſita contingentes determinantur. Liber inſcriptus eſt Auguſtino Nani Senatori Veneto Triumuiro Litterario. Cuſus eſt Venetijs apud Euangeliſtam Deuchinum in quarto folij, complectens integra folia ſexaginta cum dimidio; promulgatus Calendis Iunij. MDCXXI. contradictorem neminem habuit, quem ego viderim, laudatores plurimos, inter quos autor Muſæi *a* Calceolarij. *a Sect. 6. pag. 716.*

Librorum ſex de Nouis Aſtris & Cometis Hiſtoria X.

A Subterraneis luminibus ad æthereas faces, ſi non corporeis oculis, ſaltem aciei mentis longe occultiores, euehor eodem tempore: quum enim ſtudioſorum hominum Intellectus admirando ſpectaculo nouorum ſiderum & Cometarum in cælo micantium commoti, talium euentuum alij locum ab Aſtronomis, alij cauſſas generationis inquirerent a Phyſiologis: hos autem ſummos humanæ ſapientiæ Dictatores ſimul non conſentire de propoſito, ſed miris diſſenſionibus nunquam non altercari ad inuicem ægre ferens, animum appuli ad inueſtigandum an aliqua ratione duæ partes hæ Philoſophiæ, Mathematicam dico & Phyſiologiam, poſſent conciliari: tandem eas amico fœdere iungi poſſe conſpexi: quarum conſenſum multis laboribus a me procuratum promulgaui ſex libris editis *De Nouis Aſtris & Cometis*; quorum ſane duo priores dicati Io: Baptiſtæ Fuſcareno Patauini Lycei Moderatori proponunt attributa communia de

talium

talium phenomenon conditionibus paſſim obſeruata; & aliorum dogmata plurima perpendunt: Tertio nouorum ſiderum & cometarum ſubcæleſtium natura & attributa diligenter excuſſa; quarto eorumdem theoria ab obiectionibus Mathematicorum vindicata: liber vterque Octauiano Bono Senatori Veneto nuncupatus: Quinto cæleſtium cometarum & recentium aſtrorum origo & cauſſæ in Peripato deteguntur, & excoluntur; ſexto demum eorumdem æthereorum phaſmatum contemplatio vindicata prorſus a recentium Peripateticorum obiectionibus: vtrumque librum Dominico Molino Senatori Veneto conſecraui. Opus vniuerſum, a Galileo per epiſtolam celebratum titulo laboris Atlantici, tres habuit contradictores; duos quidem inſignes viros, Scipionem Claramontium, qui nonnulla ſua dogmata mihi perpenſa,& veluti meis theorematibus repugnantia labefactata reſtaurare firmareque ſtudet ingenua diſputatione; vt ad me non ita pridem ſcripſiſti, eruditiſſime Naudæe, qui ab eo viro catalogum operum ab ſe promulgandorum ad me miſiſti: ceterum vbi prodierit in lucem ea diſputatio, vel acquieſcã oraculis viri docti, vel excitabor ad veritatem forte depreſſam iterum ſubleuandam: Alter fuit Libertus Fromundus, qui nobili ſuo volumine Meteorologicorum vt paſſim plura meorum dogmatum collaudat; ita nonnulla ſibi non placere fatetur ingenue, rationibusque depromptis ex rei natura propriam opinionem communire ſatagit: cui viro præſtanti magna ex parte ſatisfacere conor in opere de Natura & Efficientia Luminis; quod multo antea cœptum, varijs occupationibus, aliorumque ſubnaſcentium in dies operum compoſitionibus interceptum, nondum ad vmbilicum ducere potui; quem tamen proximum video: Tertius fuit quidam Mathematicus, qui conuicijs potius quam rationibus agens, meaque vellicare magis quam ſua confirmare ſtudens, omnia liuide ſubſannat: cui breuiter Prima mea Nemeſis occurrit, Cometarum controuerſias tractans. Opus octo folia cum dimidio ſupra quinquaginta complectens, cuſum Venetijs in quarto folio typis Ioannis Guerrilij, prodijt Calendis Iulij MDCXXVII.

Con-

Controuerſiarum de Cometarum attributis Hiſtoria XI.

IAm meos de Nouis Aſtris & Cometis libros inuulgaueram; in quorum ſecundo quum omnium æui noſtri, ſuperioriſque ſeculi Scriptorum inſignium opiniones examinaſſem: ac inter eos cuiuſdam Mathematici, qui tunc nondum aliquid publici iuris fecerat, nullam omnino mentionem habuiſſem; eius profecto culpa, qui rogatus a me ſuam de propoſito ſententiam, aſpere ſatis & inciuiliter denegauerat: viſis meis de Cometis & nouis aſtris lucubrationibus, adeo liuore tumuit, vt poſt biennium editis quibuſdam ſuis lectionibus, non ita bono fato pridem exceptis in Patauino Lyceo, virus omnis maledicentiæ in me iaculauerit: Cuius petulantiam vt coerceret mea Nemeſis (quam Primam appellaui, non quia ſecundam in hunc autorem comminarer, ſed quia nullam hactenus aliam priorem Apologiam conſcripſeram Nemeſeticam) primo *Controuerſias de Cometarum attributis* expoſuit, quinque diſputationibus agens de Cometarum Quiete, Loco boreali ſine Occaſu, Parallaxi Ariſtotelica, Sede celeſti, & exacta theoria Peripatetica; meas ad Ariſtotelem interpretationes ab oppoſitionibus liberans, & alienas euellens, ad aures non ſolum Ariſtotelis, verum etiam ex rei natura, & ex Aſtronomiæ penetralibus omnia comprobans vnico libello, Venetijs apud Georgium Valentinum excuſo foliorum vndecim ſub forma quarti folij, anno Domini MDCXXV. Volumen Donato Mauroceno Senatori Veneto dicatum, ſalibus quidem aculeatis reſperſum, vt apologeticum prouocatum decebat, ſed tamen non opprobamentis inquinatum.

Scholij de Camelo Bulla Hiſtoria XII.

AD haſce Primæ Nemeſis Controuerſias quum reſipiſcere debuiſſet Licetomaſtix ille Mathematicarum profeſſor; adeo viciſſim exarſit ira, vt proſtituto penitus omni pudore libellum famoſum aduerſum me calumnijs onuſtum vulgauerit: quod probroſum volumen Socrates meus veluti Xanthippes mulierculæ rabidas exclamationes maledicen-

tiaſque floccipendens, alto ſilentio decreuerat aſpernari; ſed tamen exorari paſſus eſt ab amicis, cordatis doctiſque viris, vt breui *Scholio de Camelo Bulla* conuiciatoris calumnias eluderet, ſilentium iudicens omnibus eius iurgijs in poſterum afferendis: Quare ſtrictim obſcœnas illius voces reprimens, velato vultu ac nomine, pudibunda Nemeſis iurauit adeo procaci ſcriptori ſe tertio non reſponſuram. Scholium editum fuit in folio trifolium ad calcem operis de Intellectu Agente; quod tunc impreſſionis finem aſpiciebat. Dicatum in Ara, in qua Camelus Mineruæ læſæ ſacrificatur, Dominico Molino: Cui Senatori Veneto poſtea Camelus ille, quaſi rediuiuus, non erubuit inſcribere librum quemdam tertium, ceu plauſtrum lœdoriarum non ſolum in me, quem ſciebat promiſſis eſſe ſtaturum, quibus dixeram nolle me amplius cũ vlla reſponſione dignare; ſed etiam in Souerum inſignem Mathematicum, virum candidiſſimis litteris pariter ac moribus; a quo non ſemel diſputans victus fuerat, iam vita defunctum; adeoque cum laruis luctari, & cum vmbris depugnare, leporina quadam audacia mortuo Leoni procaciter inſultare, ſurdamque terram ignaue verberare. Sed valeat ille Bulla, cuius nomine coinquinanda non eſt mea chartea ſupelles; cuius opprobramenta non habebunt vnquam me lectorem. Cuſum fuit Scholium Patauij, apud Gaſparem Criuellarium anno MDCXXVII.

Quinque librorum de Intellectu Agente Hiſtoria XIII.

SCripturus de Rationalis Animæ Immortalitate in Peripato (ad quod opus iteratis me ſuaſionibus impulerat Franciſcus Ferrantes amicus optimus) operæ pretium duxi prodromum dare volumen *De Intellectu Agente*, quo diruerem omnes Alexandræorum machinas ædificio Immortalitatis infenſas, & omnia Aphrodiſæorum ſubterfugia, ne meas interrumperent meditationes; quæ magnam ob ſubtilitatem attentionis indigæ non debebant obſtrepentibus auribus & animis excipi. Quinque libris igitur vniuerſum negocium de Intellectu Agente complector: quorum primus alienas opiniones expendit de Intellectus Agentis Exiſtentia, ſiue Neceſſitate: Secundus examinat aliorum dicta

de

de Intellectus eiuſdem eſſentia: tertius perpendit aliorum ſententiam de functionibus Intellectus Agentis: quartus animaduertit aliena dogmata de Proprietatibus Intellectus Agentis: quinto demum propria ſententia promulgatur intra ſepta Peripateticæ doctrinæ de Intellectus Agentis Nomenclatura, Exiſtentia, Eſſentia, Functionibus, & Proprietatibus: Opus conſecratum Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ: cuſum Patauij ſub ampliori forma a Gaſpare Criuellario Anno Domini MDCXXVII. complectitur folia octoginta tria cum dimidio; Neminem habuit, quem ego quidem nouerim, contradictorem.

Variorum Elogiorum Hiſtoria XIV.

ANimi gratia pariter, & obſeruantiæ teſſeram erga Sereniſſimum Genuæ Ducem Io: Lucam Clauari, & ampliſſimos pleroſque Venetos Senatores, multa pepigimus Elogia, noſtri temporis Heroicas virtutes concelebrantia: quæ per Gaſparem Criuellarium cuſa Patauij diſtinctis folijs anno Domini MDCXXVII. compaginata conſtituunt non ita ſpernendæ magnitudinis libellum. Ea vero compacta ſunt vtcumque ad imitamentum antiquorum Idylliorum referentium formam Altaris, Alarum, Securis, atque Syringis; quas poeſes olim Simmias Rhodius, Theocritus Syracuſius, Doſiadas, & alij veteres priſcis Heroibus cecinerunt.

Imitationum Figurati metri a Simmia Rhodio inuenti Hiſtoria XV.

SEd & opuſculo quodam alio ſeorſum omnia ferme talium Idylliorum imitamenta compegi, Fiſtulam, Ouum, Altare, Securim, & Alulas repreſentantia, ſub titulo *Imitationum Figurati metri a Simmia Rhodio inuenti;* quæ luſi cum alijs Etruſcæ Muſæ carminibus in laudem inclyti Senatoris Veneti Hieronymi Landi, quum ex Prætura Patauina egregie geſta rediret in Patriam: Libellus editus in forma octaui folij, bifolium continet: cuſus Patauij a Gaſpare Criuellario anno Domini MDCXXVII. dicatus eſt Ioanni Ciampolo tunc a Secretis Principum S.D.N. Vrbani Octaui.

Quatuor librorum de Immortalitate Rationalis Animæ ad mentem Ariſtotelis Hiſtoria XVI.

INterim vero dum hæc ludens pango, ſemper habens animum ad Immortalitatem Animorum excolendam; animaduertens opinionem Alexandri de mortalitate rationalis Animæ magnum indies incrementum ſuſcipere cum maximo ingeniorum in Peripato tenellorum damno; continenter vrgebam opus antea diu cœptum *De Rationalis Animæ Immortalitate ad aures Ariſtotelis*: demumque poſt multarum vigiliarum labores volumen ad exitum perduxi, quatuor libris diſtinctum; quorum primus excutit omnes opiniones infenſas Immortalitati: ſecundus immortalem eſſe rationalem animam oſtendit ex ijs attributis, quæ illi tribuit Ariſtoteles in primo Statu, priuſquam ipſa corpori conſocietur in formam: tertius argumenta ducit immortalitatis ex conditionibus ab Ariſtotele datis Animæ, dum in corpore degit hominem conſtituens, adeoque in ſecundo Statu: quartus aſſignat rationes immortalitatis ex ijs attributis, quæ conceduntur ab Ariſtotele animis in tertio Statu poſt obitum hominis a corpore ſeparatis. Volumen in folio foliorum ſeptemdecim ſupra centum exijt e Typographia Gaſparis Criuellarij ſub anno ſalutis MDCXXIX. dicatum fuit Sereniſſimo Venetiarum Principi Ioanni Cornelio, Gymnaſijque Patauini Moderatoribus, Nicolao Contareno, qui poſtea fuit Reipublicæ Princeps, Petro Bondimerio, & Dominico Molino, Senatoribus. Neminem adhuc mihi videre licuit, qui libro contradixerit; etſi Cæſar Cremoninus Collega meus, & Aloyſius Albertus Sacræ Scripturæ publicus interpres, ambo D. Federici Pendaſij diſcipuli me ſeniores, ambo doctrinæ Alexandri Aphrodiſæi cultores, non ſemel dixerint ſe volumini meo contradicturos; quia nulla contradictione relicta diem obeuntes fato ceſſerunt.

Allegoria Peripatetica ad Aenigma Vetus Elia Lelia Criſpis *Hiſtoria* XVII.

QVum forte meas ad manus perueniſſet explicatio Marij L. Michaelis Angeli ad Aenigma tenebricoſiſſimum, quod

quod ſuperiori ſeculo tranſmiſſum fuerat ab Academicis Mediolanenſibus elucidandum Patauinis eo tempore Profeſſoribus: Griphuſque miro contextus artificio videretur expoſcere diligentiorem interpretationem: ego non leuem coniecturam habens e libro de Mundo ad Alexandrum inſcripto Scrupum ab Ariſtotele dudum efformatum fuiſſe; duplici libello conatus ſum intima Parabolæ ſenſa penetrare; primoque plures doctorum hominum explicationes diligenter examinaui; ſecundo tres interpretationes Aenigmatis in Peripato propoſui; quarum priore demonſtratur, Ariſtotelem artificioſo Eliæ Leliæ Criſpis Epitaphio tractare ſingulas Generationis naturalis vniuerſim ſumptæ conditiones: poſteriore oſtenditur, Philoſophum hic Moralia tractantem agere de cunctis attributis Amicitiæ perfectæ: poſtrema tandem declaratur, Ariſtotelem in Gripho ſubtiliter agere de tertio rerum naturalium principio, quod Priuatio paſſim appellatur in Scholis. Volumen Patauij a Gaſpare Criuellario cuſum in quarto folij, continens integra folia quadraginta ſex, vulgatum anno Salutari MDCXXX. Cal. Septembr. dicatum eſt Paullo Mauroceno inclyto Senatori Veneto. Nullos habuit contradictores.

Encyclopedia ad Aram Nonarij Terrigenæ Hiſtoria XVIII.

SEueriora Philoſophiæ ſtudia demulcens, Antiquiorum Idyllia, ſpeciem Altaris, Alarum, Oui, Securis, & Syringis admirabili quodam artificio referentia, quod obſcuriſſima forent, commentarijs illuſtrare mihi propoſui ſubceſiuarum horarum tempore, mitioribus hiſce Muſis congruenter dicato. Ac primum quidem vetuſtiſſimum Altaris poematium aggreſſus, quod alij Doſiadæ, alij Beſantino cuidam, alij Theocrito Syracuſio, & alij Simmiæ Rhodio acceptum referunt, explicare tentaui; Nonariumque Terrigenam illius Autorem ſalutaui; quod ita ſe circumſcripſerit Autor in Idyllio. Commentationem ſub titulo *Encyclopadiæ ad Aram Nonarij Terrigenæ* vulgaui; quoniam ex omnibus prope diſciplinis ad eam efformandam ſuppetias habuerim. Cuſum eſt opus Patauij in quarto folij a Gaſpare Criuellario anno Domini MDCXXX. continet folia vigintiquinque. Dicatum

tum fuit litteratiſſimo Principi Vrbano Octauo ſummo Pontifici. Neminem habuit hactenus contradictorem, quem ego quidem viderim.

Encyclopædiæ ad Aram Publilij Octauiani Porphyrij Hiſtoria XIX.

EOdem tempore proſequebar cum ſuauioribus Muſis ænigmatia Pægnia commentari: & Aram olim a Publilio Optatiano Porphyrio in Apollinis Pythij cultum conſcriptá ſolis verſibus ſenarijs, vno litterarum numero maiori minorique diſcrepantibus, multiplicem antiquiorum hiſtoriarum & obſcuriorum fabularum eruditionem complectentibus, encyclopædia pariter explicare ſum aggreſſus; breue volumen eodem anno MDCXXX. contexui: cuſum a Gaſpare Criuellario Patauij in quarto folii, vndecim folia repleuit: Dicatum Vido Mauroceno Veneto Senatori.

Libri de Anima ſubiecto corpori nil tribuente: Deque Seminis Vita, & efficientia primaria in conſtitutione fœtus Hiſtoria XX.

a 1618. QVum olim [a] agens de Spontaneo Viuentium ortu, maximum dicendorum fundamentum ieciſſem, ac multis rationibus vallaſſem, formam in materia reperiri poſſe, quæ nihil prorſus corpori ſubiecto tribueret, nõ actum primum, non operationem vllam, ſed in eo velut in vaſe degeret, nihil ad ipſum pertinens: non multo [b] poſt inclytus
b 1622. Antonius Ponce Sanctacrucius Hiſpaniarum Regis Protomedicus in opere ſuo De Hippocratica Philoſophia mihi de propoſito litem indixit, & contradixit aperte: quum ex ad-
c 3. *prac. med. par. 2 ſect. 1. cap. 5.* uerſo V. Cl. Daniel [c] Sennertus meam opinionem collaudauerit, vt ſupra notaui. Licet autem Sanctacrucius multo prius illud opus ſuum fecerit publici iuris; mihi tamen ipſum in illo mea impugnantem videre non licuit, niſi [d] dum
d *Hiſt.* 8. præmonſtratum habui ab amico viro Io: Auguſtino Balbano Medico Genuenſe: Quare ſtatim aſſumpto calamo reſpondere tentaui Archiatro Regio, non ſolum propugnans meũ theorema ab eo impugnatum; ſed etiam, quod in ſuæ ſententiæ

tiæ confirmationem addit, ſemen non eſſe animatum, & agere vt inſtrumentum ſeparatum ab efficiente primario, placitum aperte repugnans noſtræ ſententiæ dudum promulgatæ in opere De Ortu Animæ humanæ, perpendere ſum aggreſſus; & ſpacio dierum fere quadraginta compoſitum eſt opus ſub titulo *De Anima ſubiecto corpori nil tribuente; Deque Seminis vita, & efficientia primaria in conſtitutione fœtus*. Ipſum prælo Variſci Variſcij ſuppoſui Patauij ſæuiente peſtilentia MDCXXX. Volumen in quarto folij ſolum octo folia continens dicatum fuit Ioanni Amulio Senatori Veneto.

Diſputationum Nemeſeticarum De Ferijs Altricis Animæ Hiſtoria XXI.

QVod iam *a* pridem inuulgaueram volumen De his qui diu viuunt ſine alimento, quum a multis viris doctiſſimis non probaretur ſolum, ſed laudibus miris extolleretur, atque ſuſpiceretur; vnus tamen inuentus eſt, qui prorſus ipſum improbaret non modo, verum probroſis conuicijs deſpiceret, lacerareque tentaret in eſchartabulo Voluſiano De Aſitia recens *b* edito Stephanus quidam Caſtro Luſitanus Medicus in Piſano Gymnaſio legens: diu anceps hæſi an huic homini de propoſito reſponderem: tandem ratio multiplex ab amicis allata, potiſſimum a Laurentio Pignorio, viro ſummæ probitatis & litteraturæ, me ſuaſit ac excitauit ad curandam Cachexiam maledici ſcriptoris, & ad reprimendam Caſtronienſem petulantiam: totumque libellum eius famoſum excuſſit mea Nemeſis, non tam propria propugnans, quam aduerſarij dicta refellens, illius opprobramenta ſordidiora ſalibus aculeatis eruditionis euellens, diſcutienſque vigintiquinque diſputationibus: & occaſione data vigeſimam ſextam diſputationem addens, quæ de Monſtrorum ortu ex nefaria bruti & hominis commiſtione, meum aliud theorema dudum propoſitum in opere De Monſtrorum cauſſis natura & differentijs (quod contumelioſe Caſtro damnauerat in libro De Meteoris Microcoſmi) ſartum tectum tuetur. Opus incœptum menſe Iunio MDCXXX. terminatum eſt menſe Februarij MDCXXXI.

a 1618.

b 1630.

cuſum

cuſum Patauij feruente Peſtilentia typis Variſci Variſcij, qui vix abſoluto volumine cum vniuerſa familia numeroſa morbo deceſſit e viuis, vt duo poſtrema folia Venetijs cudere mihi neceſſe fuerit. Volumen complectitur folia triginta ſeptem in quarto folij. Dicatum fuit Patauini Studij Moderatoribus Franciſco Mauroceno D. Marci Procuratoti & Collegis Venetis Senatoribus. Prodijt ſub titulo, *De Ferijs Altricis Animæ Nemeſeticæ diſputationes*: Quas quum Romæ legeret Petrus Seruius, doctrina pariter ac eruditione Medicus inſignis, ad te (Naudæe) Patauium ex Vrbe perſcripſit in epiſtola, quam mihi legendam dediſti, *Tu itaque Vir clariſſime ad nos iter para: Interea fruere celeberrima iſta Academia; fruere Liceto, quem ipſe abſens veneror; quem nunc oſculor in Ferijs altricis animæ. Vale Romæ XI. Kal. Sextiles MDCXXXIII.* Idemque ſentit ac ſcribit ſub anagrammatiſmo latens Perſij Treui in opere Domeſticarum exercitationum de Sero Lactis, vbi reprehenditur Caſtro mihi maledicens; ait enim Treuus, [c] *Licetum (quem virum Dij boni! ſæculi noſtri ornamentum) inſanire libuit hunc hominem aſſerere Caſtrum non puduit.* Sed & eidem conſentiens alius vir doctus in celebri Gymnaſio Philoſophiæ publicus interpres, cuius nomini ne parcerem, eiuſdem famæ non parceret Caſtroniana maledicētia, Patauium ad me perſcripſit hoc epigramma, *Ad Fortunium Licetum &c. dum Nemeſeticas eius diſputationes legit, iterumque legit & admiratur N. publ. Phil. Profeſſor.*

[c] *in fin. lib.*

„ Quid mihi commemoras traxiſſe ad ſe Orphea Syluas
„ Sæuitiam immites dedocuiſſe feras?
„ Structos quid narras Thebarum Amphione muros
„ Pollice dum tangit fila canora lyræ?
„ Alcidem ſileat nimis ambitioſa vetuſtas
„ Auratis nodis dum trahit ille viros.
„ En nouus Alcides, Amphion, ac Orpheus alter
„ In te iam ſumpſit fabula priſca fidem:
„ Aſtiaſtis enim Nemeſis populata lepores
„ Concelebrat laudes docte Licete tuas.
„ Non minus eſt Caſtri linguam frænaſſe ferinam,
„ Moribus immites quam domuiſſe feras.
„ Aude animis [illegible]iſſe Sophum fortaſſe licebit,
„ Nam fortuna tuum nomen & ipſa timet.

Pyro-

Pyronarchæ, ſiue duum librorum de natura Fulminum: deque Febrium Origine Hiſtoria XXII.

VIx a peſtilentiæ ſæuiſſimæ contagione me receperam, quum meam mihi ſalutem gratulatus, ad me tranſmiſit Aenigma Pyronarchæ Iulius Recalchus in Ferrarienſi Lyceo Medicus primarius, a me poſtulans explicationem litteris datis die XIV. Decembris MDCXXXII. Statim aggreſſus interpretationem die XX. Decembris eiuſdem anni, quantum per occupationes mihi licuit opus vrgens, geminam ſolutionem attuli Gripho, phyſiologicam vnam de Fulminum natura, medicam alteram de Febrium origine; quam vtramque terminaui die tertia Octobris MDCXXXIII: cuſum eſt volumen Patauij menſe Nouembri proxime ſecuto typis Iulij Criuellarij in quarto folij, complectens folia ſeptemdecim cum dimidio: dicatum fuit Eminentiſſimo Felici Centino Cardinali Aſculano. Librum quum legiſſet eruditiſſimus Balthaſſar Bonifacius, hæc metra pepigit,

„ Ancipiti ſummus gladio ſe Iupiter armat,
„ Fulmine ſæpe iuuat, fulmine ſæpe nocet:
„ At tu dira Iouis, Fortuni, corrigis arma,
„ Vt nunc illa iuuent, quæ nocuere prius,
„ Inque libris medicata tuis vel noxia proſunt
„ Et cicur efficitur vel Pyronarcha ferox.
„ Quod ſi pernicies nequeat nos tanta iuuare,
„ Mitior eſt ſaltem, vixque nocere poteſt.
„ Illa minax, violenta, furens, quæ concutit Orbem,
„ Torpet, &, vt ſerpens, carmine rupta tuo eſt.

Duum librorum de Natura Primo-Mouente *Hiſtoria XXIII.*

VOluebatur annus MDCXXXIII. quum in locum defuncti Collegæ mei promotus eſt ab excelſo Senatu Veneto Vir Floridus, qui Philoſophiam in Patauino Lyceo mecum ordinarie profiteretur: ipſe priuſquam Patauium accederet, ad me perſcripſit Epiſtolam humanitatis plenam, qua multis me prorſus auocare ſtuduit ab omni litteraria concertatione: conſignatam Epiſtolam conciui ſuo clerico, qui Pa-

tauium (quo venturus iter ingrediebatur)eam ad me perfer-
ret;is antea multis alijs viris legendam aperuit, qui me de
litteris a Collega miſſis commonefecerunt : demum bonus
ille Clericus proſtitutam ſignauit, ac defloratam, quaſi vir-
ginem tabellario publico tradidit ad me ferendam; quam
ego poſt alios legi conſcriptam verbis ipſiſſimis,
,, Molt'Illuſtre & Eccellentiſſimo Sig. & Patron Colendiſ.
,, Nel riceuere dalla Sereniſſima Republica l'honore della
,, condotta in coteſto nobiliſſimo Studio di Padoua, vna
,, delle maggiori allegrezze, che habbia ſentito è l'vdire
,, che debba leggere a concorrenza di V. S. Eccellentiſs.
,, E aſſai noto quel magnanimo detto di Aleſſandro, che
,, haurebbe egli volentieri combattuto ne' giochi Olim-
,, pici, ſi Reges habiturus fuiſſet concertatores; maſſima-
,, mente per che ſpero che appreſſo di noi queſta, che ſi
,, chiama volgarmente concorrenza, ſia per riuſcire radice
,, di honeſta amicitia, ſi come è auenuto a molti virtuoſi
,, della vera gloria ſingolariſſimi amatori. Eſempio n'hab-
,, biamo in Apelle, e in Protogene, i quali facendo à gara
,, di tirare ſottiliſſime linee à oſtentatione dell'arte loro di-
,, uennero poi per tal cagione grandiſſimi amici. Nacque
,, conteſa come ſcriue il Boccaccio fra Natan, e Mitridanes
,, pretendendo ciaſcheduno di loro il primato della libe-
,, ralità, ma alla fine ſi riſolſe in ſcambieuole beneuolenza.
,, Appreſſo Homero Glauco e Diomede ſi conduſſero nel
,, campo per combattere ma conoſciutoſi ſi ſtrinſero in
,, amicitia. Nella Republica Tebana di gloria fù gara fra
,, Epaminonda e Pelopida, con tutto ciò ſi conſeruarono
,, ſempre affettionatiſſimi amici, perche vedeuano, che il
,, publico bene richiedeua da loro quello, che doppo
,, molto tempo diſſe Tacito, priuata odia publicis vtilita-
,, tibus remittenda eſſe, nel che ſi dimoſtrò perfettiſſimo
,, Cittadino Ariſtide, quando eletto Ambaſciatore di Ate-
,, ne con Temiſtocle depoſe le diſcordie, che con eſſo lui
,, haueua. Luciano non ſeppe mai meglio e con riſa mag-
,, giori burlarſi de Filoſofi, che introducendoli litiganti, e
,, contentioſi; e certamente ha pregiudicato aſſai alla fama
,, di alcuni Filoſofi grandi l'eſſere eſſi ſtati fra loro emuli
,, gareggiatori, come furono Platone, e Senofonte, Dio-

gene,

„ gene, e Ariſtippo, Ariſtotele, e Senocrate; quanto me-
„ glio e piu lodeuolmente ſi portarono Talete, e Solone,
„ quantunque competitori nella nominanza della Greca
„ ſepienza? Le diſcordie ſono diſdiceuoli quando non
„ ſiano come quella che nacque fra Pilade e Oreſte, ap-
„ preſſo Euripe, fra Niſo e Eurialo appreſſo Virgilio, ò co-
„ me quelle, che ſcriue Eliano eſſere bene ſpeſſo accadute
„ fra Pauſania e Agatone. Ho voluto con V.S. Eccellentiſ.
„ paſſare queſto offitio per ſignificarle l'animo mio, il qua-
„ le profeſſerà ſempre eſſere non meno ammiratore del ſuo
„ ſapere, che imitatore delle ſue virtù. Ho voluto che ella
„ conoſca in me quella facilità, che come dice Plutarco eſt
„ viaticũ amicitię, e per tal cagione lungi quel brutto detto
„ figulus figulum odit, auguro à me quello di Cicerone,
„ vim habet magnam ad conciliandam amicitiam ſtudio-
„ rum ſimilitudo, e quello di Ariſtotele, ſunt ſibi iucundi
„ ſimiles, eademque profitentes; e con tal fine ſcuſando la
„ penna forſe traſcorſa in troppa lunghezza le fo riueren-
„ za e le bacio le mani. Perugia li 4. Settembre 1633.
„ D. V.S. m.Ill. & Eccellentiſs. Ser. Aff. G.T.G.

Cui quidem epiſtolæ ſtatim ego reſponſum dedi per tabellarium in hæc verba,

Molt' Illuſt. & Eccellentiſs. Signor e Patron Colendiſs.

La lettera, che V.S. Eccellentiſs. ſi è compiacciuta di ſcriuermi ſin ſotto li 4. del corrente, reſami non prima di hieri, mi è ſtata oltre modo grata; ſendo ripiena non meno di eruditione, che di corteſia: & ſi come nell'eruditione mi ha dato a guſtare colla mente il nettare de' ſuoi ſcelti concetti; coſi nella ſua corteſia mi ha cibato la volontà coll'ambroſia di vna rara gentilezza. Al ſuo benigno affetto corriſponderò io ſempre con pari propenſione d'animo; & la ſua molta eruditione ſe non mi ſarà poſſibile di pareggiare, non mi ſarà però tolto di lodare. Si che rendendole infinite gratie dell'honor fattomi nell'offerirmi la ſua amicitia, da me cordialmente accettata, le bacio per fin di queſta le mani, con farle molta riuerenza. Padoua. 19. Settembre 1633. D. V. S. m. Ill. & Eccellentiſs. Ser. Aff. Fortunio Liceti.

Aduenit non multo poſt Vir Floridus Patauium: Ipſum inuiſi, domum eius adiens; ſtatimque percontatus eſt, an habuerim eius epiſtolam; reſpondi me illam recepiſſe; ſubiun-

xique reſponſionem ad eum dediſſe; quam vltro mihi confeſſus eſt a Tabellario ſibi delatam; vt propterea ſemper ignorauerim cauſſam percontationis. Paucis ab inde diebus viſitationem mihi rependit: mutuo radices amicitiæ iecimus: cui colendæ quum forte per eos dies in lucem dediſſem librum de Natura Fulminum; deque febrium Origine ſub titulo Pyronarchæ, tranſmiſi ad virum Florentem exemplar per Amanuenſem meum, rogans vt, ſi quid in opere comperiret emendandum, dignaretur id mihi communicare, quo poſſem eius admonitione ſaltem alia volumina, quæ cuderentur in poſterum, perfectiora reddere: nunciauit mihi Iuuenis, ſe domi virum eximium non inueniſſe; reliquiſſe tamen libellum in manibus Adoleſcentis clerici, quem ipſe filium exiſtimauit, certe contubernalem agnouit; eique legationem meam egregio Doctori renunciandam dixiſſe: ceterum poſtea ſuſpicatus ſum ab adoleſcente libellum viro Florenti datum non fuiſſe, quum ſæpius exinde cum eo collocutus de libro ad ſe tranſmiſſo ne verbum quidem. Quum deinceps illuxiſſet prima[a] dies anni litterarij MDCXXXIII-MDCXXXIV. III. Non. Nouembris, ego de more, ac ex officio publicum ſuggeſtum conſcendi Studioſis Philoſophiam dicturus; cœpique ſerere proloquia octaui libri Phyſicorum Ariſtotelis, qui toto illo anno ſtudij mihi declarandus erat; primamque prælectionem habui, qua poſt explicatam Alcmenæ Mythologiam fuſe probaui Primi-Mouentis meditationem ad Philoſophum Naturalem eo potiſſimum nomine pertinere, quod eſſet vere proprieque Natura; cuiuſmodi non eſt anima rationalis poſt hominis obitum a corpore ſeparata, quia nullam haberet naturalem propenſionem ad corpus; adeoque non ad Phyſiologum attineret, ſed ad ſolum Metaphyſicum: Et quum hoc effatum, interdicens animæ ſeparatæ a corpore defuncti phyſicam potentiam ad corpus denuo ſubeundum, non ita probari videretur viris doctis; id ipſi mihi ſtatim a lectione deſcēdenti Scalas Gymnaſij ſignificarunt oretenus ingenue: Quibus vt morem gererem, ſequenti Schola, quæ [b] Nonis proximis habita fuit, meditationem vberiorem habui de propoſito; qua plene ſibi ſatisfactum eſſe dixerunt eximij viri. Vtraſque meas lectiones illas præſentia ſua plurimum illuſtrauit vir Floridus, qui nondum legendi

[a] 3. *Nouemb. 1633.*

[b] 5. *Nouemb.*

di munus aggreſſus fuerat in hoc Lyceo: Sed mox ad vi.
[c] Idus e ſublimi loco publice librum eumdem Ariſtotelis in- c 8. Nouemb.
terpretari quum incœpiſſet, & ad v. [d] Idus proſequeretur d 9. *Nouemb.*
ſolus ex inſtituto Scholarum, me quamplurimos inter alios
auditorem habuit: & quum pleraque peroraſſet, omnes in-
genij ſui neruos, præſente & audiente me, intendit vtraque
ſua prælectione in euertendis dogmatibus a me poſitis antea
de Natura Primo-Mouente; deque Rationalis animæ poſt
hominis obitum a corpore ſeparatæ nulla phyſica propenſio-
ne ad corpus: plurimum ſatagens non ſolum contra meas po
ſitiones oſtendere tum Primum-Motorem nō eſſe Naturam;
tum animæ defuncti naturalem ineſſe potentiam ad corpus
denuo ſubeundum: ſed etiam rationes, quas attuleram ad
mea theoremata confirmanda, ſolubiles eſſe. Quibus contra-
dictionibus vt occurrerem poſtulauerunt a me Studioſi plu-
rimi, qui prælectionibus vtriuſque noſtrum interfuerant: nō
potui detrectare negocium, & Auditoribus meis huiuſmodi
ſpeculationem denegare; Propterea ſequenti proximo lit-
terario conſeſſu, qui [e] xviii. Calend. Decemb. habitus eſt, e 14. *Nouem.*
vtrumque meum dogma latius confirmaui, & obiecta cōtra-
dicentia, a viro Florente propoſita, dilui; ſic aſſerentibus
omnibus Auditoribus viuæ vocis oraculo; quin & eorum
nonnullis id perſcribentibus ad amicos longinqua Gymnaſia
colentes; vt mihi per [f] litteras [g] repetitas nunciatum eſt e f 22. *Martij.* 1634.
Piſano Lyceo a Cl. V. Iulio Guaſtauinio. Sed & quum alijs
viris Patauij degentibus, qui meis prælectionibus præſentes g 3. *Maij* 1634.
eſſe non potuerunt, incuſſum fuerit ardens deſiderium ha-
bendi ſcriptam apud ſe talem diſputationem; quo cœperunt
conſimiliter exardeſcere qui præſentes eaſdem audiuerant;
hinc euenit vt veluti facto impetu ijdem omnes ad vnum a
me precibus iteratis efflagitare, ac tamdem exorare, diſpu-
tationes has vt facerem publici iuris: Quocirca ſcribendi
De Natura Primo-Mouente prouinciam aggreſſus [h] xi. Cal. h 21. *Nouem.* 1633.
Decembris MDCXXXIII octoginta quatuor vigilijs opus
terminaui [i] Prid. Id. Febr. MDCXXXIV. Diſtinxi volu- i 12. *Fe.* 1634.
men in duos libros, in quorum primo phyſicis rationibus ex
Ariſtotele probaui, Primi-Mouentis nomen & rationem
pluribus entibus conuenire; & horum ſingulum eſſe vere
proprieque Naturam: in ſecundo diſcuſſi rationes, quibus
vir

vir Floridus oſtendere conatus eſt, Primum-Motorem immobilem omnino, non eſſe vere ac proprie Naturam, & alias etiam a viro Florente non tactas. Cuſum eſt opus Patauij typis Iulij Criuellarij. Prodijt mihi ex Typographia Cal. Iulij MDCXXXIV. in forma quarti folij; replet integra folia viginti ſeptem. Irrepſit magni momenti lapſus Impreſſoris in quintam faciem Præfationis; quum enim corrigens folia ſcripſiſſem iterato, *ad Phyſiologum non attinet, ſed ad ſolum Metaphyſicum*, Typographus correctionem non intelligens, tranſpoſita dictione *ſolum* ſemper impreſſit, *ad Phyſiologum non ſolum attinet, ſed ad Metaphyſicum*. Ego vero ſingulis exemplaribus deleui calamo dictionem *ſolum*, quam non fuit ita facile ſuum in locum tranſponere: Si vir Floridus codicem inemendatum habuit; iam ab Impreſſoribus ante me recepit, prece vel pretio corruptis. Liber dicatus eſt Inclytæ Nationi Germanicæ Liberales artes Patauij colenti; a qua munifice liberali donatus ſum argenteo cratere deaurato peramplo; quod artificij pulchritudine, materiei pretio ac magnitudine minime cedit Neſtoreo poculo, tantopere apud [k] Homerum, Anacreontem, [l] Athenæum, & alios tam priſcos, quam [m] recentiores concelebrato; quod quidem Ciſſybium Homerus deſcribens ait,

k 11. *Iliad.*
l, 11. *d, p. ca.* 1.
m *Alc. emb.* 102.

Iuxta etiam poculum perpulchrum, quod domo tulerat ſenex
Aureis clauis transfixum: anſæ autem ipſius
Quatuor erunt: binæ autem columbæ circum quamlibet
Aureæ paſcebant: duo autem ſubter pedes erant.
Alius quidem laborans ſubmouiſſet a menſa
Plenum exiſtens: Neſtor autem ſenex ſine labore tollebat.

Germanicum vero munus eſt Scyphus argenteus deauratus, multis cælaturis ornatus, anſarum loco manubrium habens; & operculum; cui miles immidet, haſtam dextra manu gerens elatam, læua clypeum geſtans; in quo biceps Aquila argento cælata, ſuiſque coloribus interſtincta, ſignum Imperialis Maieſtatis inſpicitur: ad oram Cymbij legitur inſcriptio FORT. LICETO NAT. GERMANA PHILOS. MED. ET THEOL. PATAV. GRATI ANIMI MONVMENTVM D. AN. MDCXXXIV. Honorarium hunc ego ſcyphum Opuntijs fratribus, a [n] Plutarcho iure notatis, quod vel argenteo poculo in duas diſciſſo partes,

n *de am or. frater.*

o *Ha-*

o Hæreditatem acuto ferro herciſcere
non erubuerint, minime legauero; ſed Primogenituræ ſymbolum ponam meæ poſteritati; quæ tali præmio litterarij certaminis animetur ad litteras excolendas.

o *Eurip. in Phœni s. Prol.*

Duum librorum De Rationalis Animæ varia Propenſione ad corpus Hiſtoria XXIV.

OCcaſio ſcribendi libros *De Rationalis Animæ varia propenſione ad corpus* eadem omnino fuit, quæ nuper expoſita tractandi De Natura Primo-Mouente, vt ſartam tectam tuerer ſententiam a me propoſitam in publicis prælectionibus, quum dicerem, Non intereſſe Philoſophi Naturalis agere de rationali anima poſt hominis obitum a corpore ſeparata, quod ea non habeat vllam propenſionem phyſicam ad corpus, nec vllam potentiam naturalem ad ſubeundam denuo materiam; ſine qua nihil a Phyſico tractari poteſt. Quod meum dogma reuocatum in controuerſiam a viris doctis, impugnatum poſtea fuit omni conatu a Florente Philoſopho de ſuggeſtu ſuis primis prælectionibus Patauinis. Ego vero meum theorema defenſurus in hoc opere, duos in libros partito, diligenter oſtendere ſatago, Rationalem Animam, quæ ſuo in primo Statu propenſionem naturalem habet ad corpus humanum prima vice ſubeundum, & in ſecundo Statu corpori conſociata retinet phyſicam potentiam ad commorandum in corpore vſque ad præſtitutum ſibi a Natura tempus, Rationalem inquam animam interuentu mortis a corpore ſeiunctam non habere in ſe penitus vllam inclinationem naturalem ad corpus denuo ſubeundum, nec vllo naturali deſiderio appetere nouum corporis cõiugium; rationibus ad hoc oſtendendum depromptis tum ex rei natura, tum ex Ariſtotelis Philoſophia præcipue, necnon etiam ſecundaria quadam ratione ex Diui Thomæ, Scotique Subtilis Theologia: Deinde ſecundo libro diluo non tantum argumenta mihi a viro Florido contradicente obiecta, ſed alias quoque rationes Lilia non olentes; quæ non leue negocium noſtro dogmati faceſſere videbantur. Opus incœpi contexere *a* V. Calend. Martij MDCXXXIV. elucubraui per vigilias triginta ſex, *b* Pythagoricis, *Mundi* nomine cele-

a 25. Fe. 1634
b *Bong. de nu. myſ.*

celebratas, Tetractyn Iuramenti ſacram complectentes, vt ait *Plutarchus* non [c] ſemel: terminaui meditationem ad Cal. April. eiuſdem Aeræ. Cuſum eſt volumen *Patauij* apud Paullum Frambottum; a quo bonus Clericus viri Floridi tentauit in dies habere folia, quæ cuderentur, hæro ſuo tranſmittenda; ſed non inuenit fluxæ fidei Typographum hunc ſecundum. Dicatum eſt opus inclyto *Principi* Don Emanueli de Fonſeca, & Zunica, Comiti Monterei &c. Vice-Regi Regni Neapolitani. Prodijt e Typographia [e] VIII. Calend. Auguſti MDCXXXIV. in forma quarti folij, complectens octodecim folia integra: cuſum eſt minutis characteribus. Vt autem contradictionibus ſuis non diſſolui communis amicitiæ vincula cenſuit vir Florens; ita & ego cenſeo eorumdem vinculorum nexus firmos conſeruari hoc vtroque volumine meis dogmatibus defendendis dicato; in quibus opuſculis perſuaſione viri Florentis ego perſonam Apellis indui; quum ipſi placuerit æmulari Protogenem.

c *de Iſid. & Oſir. 5. de plac. cap.* 21.
d 1. *Ap.* 1634
e 25. *Iul.* 1634

FORTVNII LICETI

Genuenſis

De propriorum Operum Hiſtoria

Liber Secundus:

In quo tractatur de libris proprijs nondum impreſsis; quorum alij cuduntur ad præſens; alij manuſcripti manum impreſſoris expectant ad eam parati.

PRAEFATIO.

IAm Hiſtoriam texui librorum omnium, quotquot hactenus typis varijs excuſos inuulgauimus: nunc operæ pretium eſt eos recenſere ſimiliter, qui nondum facti publici iuris tum Lutetiam Pariſiorum ad impreſſorem miſſi fuere; tum apud me manent in Muſeo Typographicam operam præſtolantes; tum etiam hic Patauinam editionem aliqua ex parte iam experti ad finem collimant.

De librorum Enneade Pariſijs cudenda Hiſtoria generalis I.

QVum ſuperioribus menſibus in meum Muſeum aduenisſet me primum allocuturus Iacobus Gaffarellus Pariſinus cum Ioanne Rhodio Dano, & I. Philippo Thomaſinio; meque Palladis alumnus interrogaſſet, ſi quid

 habe-

haberem operum ineditorum, cui manum extremam impoſuiſſem, vt ſibi ea viſendi copiam facerem: oſtendi poſt multa commentaria in Ariſtotelem tunc erudito viro libellorum enneadem, Muſas mitiores magna ex parte colentem; qua mirifice delectatus, eorum catalogum petijt Lutetias Pariſiorum ad Amicum tranſmiſſurus, qui curaret meliorem impreſſionem, quam quæ mihi tunc præſto poſſet eſſe Patauij: dedi ſtatim huiuſmodi catalogum,

1. Hydrologia Peripatetica, in qua de Mari tranquillando: de lacu Palæſtinæ: deque fluuiorum maiorum ortu e montibus, Ariſtotelis placita ſarta tecta ſeruantur.

2. De Gradu Pietatis Ariſtotelis erga Deum & Homines lib. 1. in quo Philoſophi ſententiæ plures, Fidelium auditui duræ, ſalubribus explicationibus emollitæ, ad pias aures accommodantur, illæſo genuino ſenſu dictorum Ariſtotelis.

3. De Mundi & Hominis Analogia liber vnus: in quo multiplex miraque proportio declaratur inter Mundum & Hominem intercedens in omnibus propemodum attributis eſſentiam vtriuſque tam conſtituentibus, quam conſequentibus; hiſque tum interioribus, tum etiam exterioribus.

4. Encyclopædia ad Aram Doſiadæ: in qua plurima veterum hiſtoriarum, poetarum, & Philoſophorum abditiſſima ſenſa enucleantur, patefactis ſpeciatim Ignium naturalibus attributis.

5. Encyclopædia ad Securim Epei, a Simmia Rhodio conſtructam: in qua multa vetuſtatis recondita monumenta, rerum hiſtorias & naturas complectentia, recluduntur.

6. Encyclopædia ad Alulas Amoris, a Simmia Rhodio compactas: in qua de cunctarum rerum mundanarum a Deo Opt. Max. productione, conſeruatione, gubernationeque tractatur.

7. Encyclopædia ad Ouum Simmiæ Rhodij: in qua plurima tum ad poeſim, tum ad Phyſiologiam pertinentia patefiunt, deliteſcentia in Poematio; quo Simmias intendit reuocare Scriptores omnium diſciplinarum ad ſtudium ſtilumque Poeticæ, male ab ijs intermiſſum ac derelictum.

8. Encyclopædia ad Syringam Theocriti Syracuſij; in qua celebrantur laudes & munera Poetices; & Philoſophicę pleræq; meditationes abditiores, a Poeta tactæ, latius explicatur.

9. En-

9. Encyclopædia ad Fiſtulam a Publilio Optatiano Porphyrio compactam, & inflatam; in qua multa priſcorum placita, non ſolum hiſtorica, & poetica; ſed etiam phyſiologica difficiliora enodantur: & attinguntur item vetuſtiorum alia figurata carmina, quæ circumferuntur ſub his titulis, Orphei Sphæra, Labyrinthus, Thronus, & Peplus, ſeu Pallium Ariſtotelis.

Miſit autem catalogum ita deſcriptum V. Cl. ad Ioannem Bourdelotium, nobilitate pariter ac doctrina virum præſtantiſſimum; qui recepto libellorum elencho, tales ad me dedit litteras, ipſiſſimis verbis deſcriptas,

,, Celeberr. præſtantiſſimoque Philoſopho Fortunio Lice-
,, to I. Bourdelotius S. Quæ mea ſemper fuerit in demeren-
,, do clarorum Ingeniorum fauore ſedulitas (vir Clariſs.)
,, quis labor & deſiderium illis tamquam Numinibus oc-
,, curſare, conatibus adſtipulari, & Nomini promouendo
,, reſpondere, monuit fortaſſe præſtantiſſimus Gaffarellus,
,, ſi non aliunde notuiſſet: Cuius veritatis indicium Ca-
,, talogum nondum editorum tuorum operum tibi propo-
,, no: Quum enim vir ille nobiliſſimus edenda cenſuiſſet,
,, Typographo meo homini liberali & aliquando apud
,, Italos enutrito propoſui; qui ne deliberauit quidem vt
,, videretur contatus; ſed ſtatim Nominis tui fulgore lu-
,, ſtrato, quidquid ſuaderem facturum pollicitus eſt: ac de
,, conditione ſecurus, libellos ſeorſim edendos, Autori di-
,, candi licentiam, & exemplaria promittit, meque fide-
,, iuſſorem præſtat. Quod eradendis operarum næuis non
,, rogatus & vltroneus accedam, tuæ virtutis hoc opus eſt.
,, Huius penitiorem cognitionem dum ardentius flagito,
,, prius obſequia adipiſci quam noſſe feliciter mihi datum
,, eſt: Hinc factum vt catalogum tuum ſæpius & iterato
,, deoſculari placuerit, & veluti Diuinum ab Apolline
,, nouemque ſororibus [a] *ἀσπασικὸν* venerari. Quisquis au-
,, tem tractatus illos ineditos attentius ſpeculatur, ſatis an-
,, xius, ac niſi ſplendorem magni tui nominis præſeferrent,
,, diuinitus a Diuo miſſos haud dubitaret. Prioris ſubtiliſ-
,, ſimam doctrinam induſtriæ artique copulatam qui ſpe-
,, culatus eſt [b] *συνεχύθα τὴν διάνοιαν καὶ κλυδῶνι φροντισμά-*
,, *των περιεστοίχισο*; adeo rimaris abſcōdita, vt nihil de aquis

E 2 niſi

[a] *Salutationis genus.*

[b] *confuſus eſt mente, & æſtu cogitationum circumdatus eſt.*

c impietatis ſententia

niſi ſidereum propines ac proponas. Vt autem primi cognitio perutilis futura, ſic primum ſecundus temporum iniquitate ac infamia procul agit, qui ex Naturæ Genij religione de Deo quid ſentiendum eliminat: Quibus enim [c] ἀθεότητος δίκη ſcribenda fuerat, hi tamquam ad ſanitatis præſidium ad quoſdam Peripatetici locos nec intellectos, nec viſos confugiunt: quorum, vt ſperandum eſt, ſummi Præceptoris per te Pietas retundet audaciam, & offenſæ veritati conciliabit: ſin minus, habebunt ſane eruditi quo meliores, veſani quo ſe inquinatiores fateantur. Ad Doſiadam, Simmiam Rhodium, Theocritum quod attinet; mentem vt aperiam meam neceſſe eſt, quam ſi occulero, non metuam quin a te licet Ignoto violatæ ſymbolæ reus fiam: vbi programma tuũ curioſis oculis perluſtraui, mirari ſubijt, vnde poſt tot eximios viros, qui hoc in opere deſudarunt, nec vt cenſeo hilum profecerunt, exemplaria tibi nanciſci contigerit: Enarratores quidem veteres hic cæcutiunt, Iſacus & Tzetzes fratres, quoties ex his ſcriptoribus enodandum aliquid occurrerit, balbutire videntur: ex recentibus Criſpinus, Iamotius, Caſaubonus, Heinſius, Meurſius, ac quicquid eximiorum Criticorum eſt, parum promouent: Ioſephus Scaliger quantum in hac palæſtra nomẽ! epiſtolis ad Claudium Salmaſium imbelli nec ſuo conamine rem aggreſſus eſt: Ceteris illis omnibus amicus germanum in modum noſter, quem poſtremum nominaui, æterno volumine, ignotis hactenus verſuum verborumque ſtructuris elucidatis, ſi non omnia, plurima ſaltem a controuerſia ſepoſuit. Poſtquam enim primum prodijt Romæ Theocritus characteribus ignorabiliter litteratis, ſequuta eſt editio quam Labanus Torinus Venetijs circiter ab annis centum procurauit. Denuo toties opus illud recuſum eſt figuris adeo variantibus, vt nec Doſiadas, nec Simmias, nec ipſe Theocritus (cui totum opus a quibuſdam peſſime datur) pro fœtu legitimo agnoſceret. Quæ ideo proferre non erubui, quod huius neceſſariæ cautionis nec veſtigium, nec hola apud quemquam (nec ipſum Hephæſtionem excipio) conſpiciatur. Tu ſolus Æſculapius illos Virbios ab inferis excitare potui-

ſti.

„ ſti. Factum plaudo : nam abſque te foret , illi conclamati
„ fuiſſent. Supereſt vt beneuolentiam tuam ſedulitate mea
„ (quod fieri aueo) demerear : hanc tibi polliceor (vir Ma-
„ xime) ſed talem vt curæ veſtræ nullam anteponendam
„ reapſe declarabo. Vale. Lutet. Pariſ. 15. die Decembr.
„ MDCXXXIII. Tibi nexu tibi mancipio I. Bourdelotius.
a tergo
„ A Monſieur Monſieur Fortunius Licetus, A Padoue.

Quibus ego litteris acceptis illico tale reſponſum dedi,

Nobiliſſimo doctiſſimoque viro Ioanni Bourdelotio Fortunius Licetus B. A.

Summam humanitatem pariter ac omnigenam eruditionem tuam (vir inclyte) ſuſpicio in litteris tuis nuper ad me datis; hanc vt ſemper maximi faciam & collaudabo; ita pro illa me tibi perpetuo nexu deuinctiſſimum profiteor: Quid enim mihi gratius hoc tempore contingere poterat, quam vt vir litteratiſſimus tam benigne meis operibus prælo Lutetiano cudendis præeſſe vellet, eaq; vt emendata prodirent procuraret? ne tantum fauorem ingratus abs te ſuſcipiam, ſcias tuo quoque fœtui meis in libellis curandis te patrocinaturum; vnum enim opuſculum tuo nomini nuncupabo: interim maximas non poſſum non agere tibi gratias pro tua tam ardentis animi erga me propenſione; velimque pro certo habeas me pari voluntatis affectu colere virtutem tuam. Mittam primum Hydrologiam, vel forte (quod opus in Catalogo tranſmiſſo deſcriptum non fuit) De Natura Primo-Mouente libros duos: in quibus ex Ariſtotelis doctrina diligenter oſtenditur, Primi-Mouentis nomen & rationem pluribus entium generibus proprie conuenire: ſingulumque illorum eſſe vere, dicique propriiſſime Naturam: diſſoluunturque rationes multæ, quæ ſententiam oppoſitam communire, propoſitamque demoliri videntur. Seorſim habebis ſingulos. Exorare te vellem virum humaniſſimum, vt alijs fauoribus gratiam & hanc adderes, inueniendi quempiam, qui rerum ſcitu digniorum indicem cuique libello conficeret attexendum. A Cl. Gaffarello moneor Typographum tuum cupere ſibi diploma procurari a Sereniſſ. Republ. Veneta ne quis illi ſubditus meos libros iſthic iam cudendos recudere audeat; quod priuilegium curo vt habeatur, & ſpero votis me potiturum: ſtatimque tranſmittam iſthuc. Ad Idyllia Doſiadæ, Simmiæ, Theocritique quod attinet, ea fuere noſtra quædam ſtudiorum ſeueriorum

laxa-

laxamenta: Notaui quæ dixerint alij, quorum notæ ad me peruenerunt; inter omnes maximi facio Salmaſium: ſed & ille vir inſignis locum mihi reliquit aliquid afferendi in horum poematum dilucidationem: verſatur ille plurimum in verborum correctione; non omittit pleraſque veteres hiſtorias: ego vero verba non muto; & mutata ab alijs etiam interpretari ſatago; totuſque fere ſum in ſenſu hiſtoriarum & fabularum veterum enucleando, & in mythologia ea reſeranda, quæ ſenſum phyſicum reſpicit: an rem acu tetigerim, tuum primum eſto iudicium (vir inclyte) quum libellos in manus habueris: Si mea tibi probabuntur, nihil aliud requiram a viris litteratis; quum te videam eruditione pleniſſimum. Interim mea opera vtere ad omnia tua vota: & ſi quando per ocium tibi videre contigerit doctiſſimum Renatum Moreau, illi meo nomine plurimam ſalutem dicere ne dedigneris. Vale, & me ama. Patauij die XXI. Ianuarij MDCXXXIV.

Quibus habitis vir eximius alias illico ſcripſit ad me litteras in propoſito tales,

,, *P*ræſtantiſſimo diuinoque viro Fortunio Liceto I. Bour-
,, delotius.
,, Mellitiſſimas tuas accepi (vir inclyte) * πολὺ πακτίδος ἀδυ-
,, μελεστέρας χρυσῷ χρυσοτέρας, immo mel ſincerum, nulli-
,, que ſeplaſiario cognitum: cui vt aliquid obſeruantiæ vo-
,, to reponam, ecce geminam mentem vnica tabella deli-
,, neo. Illam accipe genuini candoris & affectus in te mei
,, prototypum, hanc Typographi, Iuuenis quidem, ſed
,, cordati, & qui nuper ex mea bibliotheca volumen in-
,, gens Hieronymi Fabritij practicæ medicinalis hactenus
,, ineditum euulgauit. Sed vt omnia quæ illi præ oculis,
,, priuſquam ad mea deuenero, paucis abſoluam; hoc in-
,, ternuncio ſit tecum. Precatur & enixe flagitat, vt edenda
,, ſimul mittas, vt præuia cum amicis deliberatione librum
,, ſeligat ceteris viam & fauorem paraturum. Patrius hic
,, morbus eſt, qui plurimos male feriatos diſcruciat, nec
,, veſtros, vt arbitror, minus angit: Non alio furiarum ge-
,, nere quondam Abderitani torquebantur. Sic Typogra-
,, phos perpetuo facultatibus inhiantes audire Pindari ta-
,, lia, e δρυλλίζοντας operæpretium eſt f Ἀρχομένου δ' ἔργου προ-
,, οίμιον χρὴ ποιεῖν τηλαυγὴς: Itaque ſi totam ſupellecti-
,, lem expoſueris, aucupio venabitur & emet emptorem.

** longe pactide ſuauiores, & auro magis aureas.*

Lucia. πῶς δεῖ συγγι.

e murmurantes.

f incipiẽte autem opere prooemium oportet facere præfulgidum.

In

In cæteris te quietum hilaremque præſtabit, recentibus characteribus, pura niueaque charta, & alijs neceſſarijs, quibus Nomenclatorem *P*omponatij exhibuit. De Diplomate tuum erit curare vt propinatis omnibus ex eo nulla mora ſit: hic operarum & legationis meæ fundus eſto. Ad eam nunc epiſtolæ partem, quæ meæ latiſſimum incrementum reſpicit famæ, decurro. Verum quid primum reſpondeam, quid ſecundum, animus hæret anxius non ſecus ac In triuio deprehenſus, qui legitimam viam neſcit: Nam quod ſub nomine meo e libris tuis non poſtremus ſit proditurus, licet ingenuum pudorem meum quodammodo corrumpere videaris, tamen parendi tibi, munuſque tuum ſubmiſſis obſequijs venerandi lenocinatur neceſſitas: cautelam tamen neceſſariam apponere non inuitus feres, nempe vt tuis in emendandis operibus non ſit laborum ſuſcipiendorum remuneratio; nihilque de emendatione pronuncies; aliter enim quod gratiſſimum ingratum eſſet: Ac iam immortalitatis participes animas nomen meum monumentis ſuis illuſtraſſe comperio. Enim vero dum attentiori meditatione rem totam examino, ita propoſitionis iſtius autoritas, quæ pro lege ac ratione ſemper mihi futura eſt, me delectat vt torqueat: Quid enim in chartea mea ſupellectile tantis honoribus redonandum? quid inter ſeria iocoſque meos muneribus tuis æquiparandum? fateor ac præ me fero poſt amicorum officia, operoſamque ſedulitatem, nullum genus ſtyli aut caloris animum meum exercere. Atque vt dono quolibet gratijs tuis ſacrificem, quum deſidiæ contumaciſſimæ patrocinium debeam, deſuetis operibus adſtitui moleſtum eſt: quum tamen vicem redditurum pollicear, per omnes virtutum tuarum numeros obteſtor ego, qui opera puſillus, tuis operibus maximus prodeo, languidiſſimos conatus meos ames animes ac promoueas. De exactiſſimo librorum tuorum indice, quod precaris, ſecurum eſſe iubeo: non enim in operibus tuis emendandis curam diligentiamque meam accuſari permittam. Cætera mitte loqui, ſed propera g πᾶσι θεοῖς ἀγαθῆ τύχη, δεξιοῖς πνεύμασι, Διῒ οὐρίῳ, & aſſiduum me tibi cogitato. Præter litteras, quas amantiſſimus noſtri Renatus Moreau

g *omnib. dijs* iuuantib. *bona fortuna, dextris ventis, ſecũdo Ioue.*

„ reau V.C. ſcribit, omnibus ſe vocibus commendatum habet, eius ego veſtigijs tutus nomen meum clientelæ tuæ ſuſcipiendum ac fouendum præbeo. Vale vir ornatiſſime. Lutet. Par. 24. Febr. MDCXXXIV.
„ Tuus dum memor ipſe mei I. Bourdelotius.

Ad hanc epiſtolam ſero ſatis habitam reſpondi ſcribens in hanc ſententiam;

Nobiliſſimo doctiſſimoque viro Ioanni Bourdelotio Fortunius Licetus B. A.

Quod meorum operum typis Lutetianis imprimendorum patrocinium adeo benique ſuſceperis, adeoque ſedulum promittas (vir eximie) debeo multum eruditioni tuæ, debeo plurimum humanitati tuæ: dum autem magnis hiſce beneficijs deuinctiſſimus animaduerto, ſoluta meliore in cauſſa eſſe quam obligata; vt vehementer cupio pares tibi munerum vices rependere; ſic angor dolore præcipuo quodam, & crucior ſenſibus intimis, non poſſe me tibi gratijs
h 7. Eud. 15. *reſpondere: ceterum tamdem audiens ab h Ariſtotele, licet magnis beneficijs acceptis quis vel ob facultatum penuriam non rependit, ſed quantum potuit præſtitit, bene ſe habere; quoniam ita Deus pro facultatum modulo noſtrarum ſacrificia æſtimat: i vt*
i rh. ad Alex. cap. 2. *pote qui non ſumptibus ſacrificantium, ſed pietate gaudet: videnſ-*
k Lucia. de ſacrif. *que priſcos ditiores boue, agno, capraue Numini k ſacrificare; pauperes thure, vel placenta Deo ſacrum facere; at ſi quis pauperrimus, eum ita Deo litare, vt dextram dumtaxat ſuam ipſius exoſculetur; recreor animo, ſat mihi ducens in præſentia beneficiũ patrocinij ſuſcepti meorum voluminum, dexteræ meæ tibi inclinatæ deoſculatione revereri; mox tuam ſummam eruditionem thure maſculo vel Oui Simmiaci, vel Fiſtulæ Porphyrianæ, placentaq; ſeu mola ſalſa mea ad alterum eorum Idylliorum Encyclopædiæ veneraturus; vtque tuæ prorſus optioni trado munus eligendi; ſic tuæ ſummæ benignitatis erit efficere, vt hocce munuſculo diuinæ tuæ eruditioni litauerim. Ad opta vero Typographi noſtri quod attinet, libenter ac ſtatim omnem meorum voluminum ineditorum in catalogo ad te tranſmiſſo deſcriptorum reliquam ſupellectilem ſimul tradam præclaro viro Gaffarello, qui quantocyus curabit iſthuc transferri. De diplomate, quod exiſtimabamus obtentu facillimum, non eſt in nobis illo tam cito potiri; quum Senator ampliſſimus omni ſtudio curauerit id nobis impetrare; ſed hactenus varijs difficultatibus res implexa fuit; nec ingenij ciuilis artibus*

vllis

vllis adhuc expediri potuit: Vtinam Gordiani nodi fatum per me ſubire valeret: omnem lapidem poſthac mouebimus, vt illud aſſequamur: ſi voti compotes fieri nequibimus, iſti Typographo ſufficiat habere me fideiuſſorem libros a nemine noſtratium recuſum iri; ſpondeo ſiquidem ipſum indemnem penitus in hoc negocio ſeruare; certo ſciens Impreſſores Italos nunquam, obſtante me, manum ad hoc opus admoturos: quare nil ſibi metuat ab hiſce damni; prælumque noſtrum alacriter vrgeat: quod ſi diplomate carens non audeat hanc aggredi prouinciam; me de propoſito ſuo certum illico reddat, vt ſcire poſſim an debeam reliquos mittere, an alium quærere Typographum, qui tale priuilegium nil moretur. Tu interim vale flos delibate Studioſorum, meoque nomine plurimum ſaluere iubeas inclytum Moreau, cuius litteras abſte nominatas in epiſtolæ calce, nondum mihi videre licuit. Iterum vale Muſarum ocelle. Patauij III. Non. April. MDCXXXIV.

Ceterum anteaquam has litteras darem, immo priuſquam accepiſſem nuper exaratas a viro præclaro, cl.v. Iacobo Gaffarello diſceſſum in Galliam paranti duo volumina primum cudenda cum ſequenti epiſtola miſi Venetias ad amicum inclytum perferenda; licet dilato diſceſſu per tabellarium ea miſerit eximio viro; ſic autem ſe habuit epiſtola,

Nobiliſſimo doctiſſimoque viro Ioanni Bourdelotio Fortunius Licetus B.A.

Ab eruditiſſimo noſtro Gaffarello recipies, vir inclyte, duo meorum opuſculorum; Encyclopædiam nimirum ad Aram Doſiadæ, & alteram ad Securim Epei; quarum Ara præmittenda Securi; ſic enim mihi nunc ex vſu eſt: Interim dum hi duo libelli cuduntur, Amanuenſis alia volumina pridem in catalogo ad te dato deſcripta tranſcribet, inter quæ tuo nomini patrocinioque deſtinatũ. Rogatum te velim (vir humaniſſime) non ſolum, ſed & exoratum, ſi quid inter legendum occurret, quod eruditioni doctrinæq; tuæ minus probetur, ſiue mendum irrepſerit in codicem vel Amanuenſis incuria, vel etiam Autoris negligentia inſcitiaue, id ex arbitrio tuo corrigas; plurimum enim defero virtuti tuæ; ſatiuſq; mihi fuerit ab amico corrigi, quam ab æmulo quopiam damnari & irrideri. Quantocyus iſte Typographus Aræ libellum impreſſerit eo ſibi me magis deuinxerit; valde ſiquidem opto munuſculum id offerre Cardinali Eminentiſſimo. Cura ſit Impreſſoris vt Aræ formentur ad amuſſim, & Secures etiam illæ curuæ; quæ licet non

ſint ita circulares exacte, nil refert; dummodo pinnæ manubrio recto lateraliter vtrimque faſtigientur in arcum: poterit ipſe characteres primum componere ad rectas lineas; deinde ſubtractis vtrimque quadratis illiteratis replentibus interſtitia pinnarum ſuperna & inferna, curuare lineas pinnarum ad formam Bipennis lunatæ, vt ita dixerim. tali ſiquidem artificio dudum hic noſtri Typographi Securim Epei facile compoſuerūt, impreſſeruntque. Græcum quidem Idyllium ex vniformibus characteribus cōſtituatur, tam id quod Aram repreſentat, quam id quod Securim: Sed vtriuſque verſiones Latinas poterit, ad verſuum longitudinem, aut breuitatem pro recta figuræ conſtructione, characteribus etiam difformibus efformare. Non te diutius morabor, vir eximie. Vale, & me ama. Pat. Cal. Mar. MDCXXXIV.

Ad hanc epiſtolam hoc reſponſum dedit vir egregius,

„ Viro Clariſſimo Eruditiſſimoque Fortunio Liceto I. Bo-
„ urdelotius S.

„ Aureos libellos tuos (V.C.) ſtyli parilitate ſororiantes cum
„ epiſtolio, ſiue cum ipſa humanitate lætus accepi. Iam ali-
„ quid Græcis in apicibus abſterſi, quorum inuerſione
„ (quod te nemo melius nouit) ſenſus interdum verſuſque
„ corrumpitur. Sed abſit a candore meo quod flagitas, &
„ iubes ſuadendo: Quid enim aut addere, aut eradere poſ-
„ ſem diabolaris ego & imi ſubellij? In eiuſmodi laboribus,
„ quamquam amicis operam ingenuitatis commodem, cau-
„ te atque ſapienter l ἀπέχω. Cætera quæ rogitas, ea præſta-
„ bo ad amuſſim diligentia, vt eam accuſari nec patiar, nec
„ credam. Interea dum primo Cal. Maij ad Aram accingi-
„ mur, ſinito (vir optime) vt quod a me ipſe flagitaſſes, exe-
„ quar, nempe vt eruditiſſimum Cl. Salmaſium artiſſimis
„ amicitiæ vinculis mihi coniunctum admoneam quibus
„ præconiorum titulis ipſum commendes: nec enim poſt-
„ modum a librarijs noſtris neſciet (quamuis nunc apud
„ extremos Batauos ab orbe noſtro diuiſus agat) hanc meā
„ operam tibi locatam eſſe: virorum enim qualis ille doctiſ-
„ ſimorum Ingenium cuncta pertentat, nihilque non illi
„ præſentaneum eſt,
„ *m Ἴθματα μὲν χέρσῳ κεφαλὰ δὲ οἱ ἅπτετ' Ολύμπῳ.*
„ De diplomate curato vt mittatur, quod facile expedieris
„ priuſquam typographica ſedulitas ferueat; vix enim ab

l *abſtineo.*

m *greſſus quidem terrā, caput autē tāgit olympum.*

ea

„ ea impetrare potui, vt diplomate non viſo rem aggrede-
„ retur. Vale vir doctiſſime n Μϰσων, ϰαὶ χαρίτων ἱερὸν φυτὸν,
„ meque Collegis tuis viris Clariſſimis concilia. Lutet. Pa-
„ riſ. 7. April. MDCXXXIV.
„ Tibi nexu tibi mancipio I. Bourdelotius.

n Muſarum, & gratiarum dulciloquarum ſacra plãta

Poſt quas litteras aliæ plures inter nos interceſſerunt de propoſito negotio; quas neceſſe non eſt hic delineare; quamobrem ad peculiares operum hiſtorias accedemus.

Encyclopædia ad Aram Doſiadæ Hiſtoria II.

INter commentationes, quas Encyclopædiæ titulo lucubraui dudum ad Antiquorum Poetarum Idyllia figurata, poſt Nonarianam Vrbano Octauo Summo Pontifici dicatã, ſecundum locum obtinet Doſiadæa; in qua multiplices habentur hiſtoriæ priſcæ, mirabiles eruditiones, & ſpeciatim vniuerſa cunctarum ſpecierum ignis attributa mirabiliter inſinuata. Inducit in poematio ſuo Doſiadas, apud Lucianum in Lexiphane obſcuritate illuſtris, Aram ab Iaſone in Lemno conſtructam erectamque Vulcano Deo loci de ſemetipſa poetice loquentem, & inſulæ decora narrantem. Compoſuimus igitur ad Aram Lemniam Doſiadæ poetæ tenebricoſiſſimi Encyclopædiam; in qua diligenter explicatur antiquiſſimum pariter, & difficillimum Idyllium Altaris Lemnij, ſingula Vulcani, & Ignis attributa mirifice complectens; patefactis veterum Scriptorum abditioribus monumentis tam ad Mythologiam, quam ad Hiſtoriam, & Philoſophiam attinentibus. Volumen, cui titulum feci, *Encyclopædia ad Aram Lemniam Doſiadæ*, in folio manuſcriptum eſt chartarum LXI. incipit, *Quum hactenus peruulgato libello &c.* terminatur, *Cui gloria ſit in æternum.* Dedicatum eſt opus Eminentiſſimo Principi Franciſco Cardinali Barberino S. D. N. VRBANI Octaui Nepoti. Miſſum Lutet. Pariſiorum cudendum Typographo Clodoueo Cotardo.

Encyclopædia ad Securim Epei Hiſtoria III.

POſt Aras Encyclopædiam texui diebus Canicularibus ad Securim Epei, poema conſtructum a Simmia Rhodio,

poeta vetuſtiſſimo, in effigiem Bipennis decore curuæ; in qua poſt excidium Troiæ *P*alladi conſecrata celebrantur laudes Epei, ſtructoris Equi Troiani, multis antiquorum hiſtorijs ænigmatice propoſitis, quæ diligenter explicantur. Opus inſcriptum, *Ad Securim Epei a Simmia Rhodio constructam Encyclopædia*, in folio manuſcriptum eſt chartarum XXXVI. incipit, *Quum in ſuperioribus Antiquiorum* &c. definit, *Quod in Sacrificijs Numini pridem offerebant vetuſtiores.* Nuncupatum eſt inclyto viro Gaſpari Thuillerio Chriſtianiſſimi Regis Oratori ad Sereniſſimam Remp. Venet. Miſſum & hoc Lutet. *P*ariſiorum ad Cl. V. Ioannem Bourdelotium, cudendum typis Cotardianis.

Hydrologia Peripatetica Hiſtoria IV.

QVum ego iampridem verſarem Ariſtotelis Meteorologiam, inter alia multa difficilia, quæ plurimos interpretum a Magiſtro diſſentire diſcedereque coegerunt theoriam comperi de Aquarum natura in ea parte ſpeciatim, qua *P*hiloſophus agit de fluuiorum inſignium ortu e montibus, & de lacu *P*alæſtinæ, a Clariſſimis viris Buccaferrea, & Vicomercato potiſſime proſcriptam, & acriter impugnatam: Quin & *P*lutarchum atque *P*etrum Aponenſem reperi contradicentes Ariſtoteli, vt ipſi ſcribunt, agenti de marinis fluctibus arte tranquillandis iniectu olei & anchoræ: Quorum argumentis diu conſideratis, affulſit ex rei natura tandem, & ex Antiquioribus autoribus aliqua ſpes defendendi Magiſtrum a contradicentium obiectionibus: quam ſpem dum ego diligentius excolo, fluxit e calamo mihi volumen ſub titulo *Hydrologiæ Peripateticæ*, in qua de Maris tranquillitate per oleum, & anchoram comparanda; de Lacu *P*alæſtinæ grauiſſima quæque pondera ſuſtinente; deque fluminum ingentium ortu e montibus, Ariſtotelis placita controuerſa & impugnata explicantur & propugnantur. Opus in folio manuſcriptum eſt chartarum LXXXIV. incipit, *Parentibus honorem ſummum exhibendum* &c. finit, *Sancta Mater Eccleſia*. Deſtinatum Ioanni Bourdelotio viro erudititiſſimo.

Libri De Gradu Pietatis Ariſtotelis erga Deum & Homines Hiſtoria V.

QVum ſuperioribus menſibus animaduerterem plures Adoleſcentes nobiles adeo dictis Ariſtotelis addictos, vt ſummo *P*hiloſopho vix fidem abrogarent etiam in ijs dogmatibus, quæ non ita conſentire videntur Eccleſiaſticis ſanctionibus; ob quæ paſſim a pleriſque non ita bene audire videbatur Ariſtoteles; nonnullas Magiſtri ſententias, quæ inter alias incautis Iuuenibus perperam intellectæ poterant erroris maximi cauſſam præbere, ſalubribus explicationibus intacto genuino ſenſu verborum Philoſophi declarare conatus; poſt aliquot elucubrationes, demum compegi libellum ſub titulo *De Gradu* Pietatis *Ariſtotelis erga Deum, & Homines.* Liber ab Amanuenſe tranſcriptus in folo replet chartas XLIV. incipit, *Qui Peripateticam doctrinam excolentes* &c. terminatur, *Conſonum eſt, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei.* In librum erudita Ioannis Rhodij Muſa diſtichon cecinit,

„ Vulgus ARISTOTELEM grauat impietate, LICETVS
„ Doctorem purgat. Nunquid vterque pius?

Operis de Mundi & Hominis Analogia Hiſtoria VI.

REſponſurus olim ad Aſitiaſten illum de Caſtro, qui meũ volumen de his qui diu viuunt ſine alimento reprehendere conatus fuerat; in animum venerat id agere perfunctorie, quaſi tractarem primario quodam inſtituto de Mundi & Hominis analogia: ſed indies valde creſcente ſub calamo commentatione; decreui tandem bono amicorum conſilio ſeorſim vtramque tractationem edere: vulgatiſque Ferijs Altricis animæ, dein Analogiam inter Mundum & Hominem paſſim apud Autores inclytos celebratam laudibus potius, quam accurata tractatione cultam; tactam potius quam pertractatam (quantum mihi videre licuit) ſuperioribus annis ex rei natura diligenter explicare tentaui: volumen elucubraui *De Mundi & Hominis Analogia*; in quo tum ex profanis, præſertim ex Ariſtotele, atque *P*latone; tum e ſacris

Auto-

Autoribus oſtendere ſtudeo miram ineſſe proportionem inter mundum ſenſibilem, & Hominem in omnibus propemodum vtriuſque attributis tam eſſentialibus, quam accidentalibus; hiſque non ſolum internis, verum etiam externis. Liber in folio manuſcriptus eſt chartarum LXXVII. principium habet, *Celeberrimam illam Humanæ Mundanæque Naturæ proportionem* &c. finiens, *in cuius feſtiuitate contemplationem hanc terminauimus*. Opus dicatum doctiſſimo Principi Edoardo Baroni Herbert, eique miſſum in Angliam.

Encyclopædia ad Alulas Amoris Hiſtoria VII.

POſt Securim Epei ad Alulas Amoris a Simmia Rhodio pariter compactas explicandas animum adieci; & quum priſcus ille Vates Idyllio quodam ad Alarum imaginem metris decenter effigiato cecinisset ænigmatice de mundanarum rerum omnium a Deo Optimo Maximo productione, conſeruatione, miraque gubernatione: nos illius dicta diligentiori Encyclopædia declarare ſategimus, opuſculumque inſcripſimus, *Encyclopædia ad Alulas Amoris a Simmia Rhodio compactas*. Volumen in folio manuſcriptum eſt chartarum XXXIX. & incipit, *Quum de Summo Deo* &c. & finit, *valeat & illud explicare*.

Encyclopædia ad Ouum Aenigmaticum Simmiæ Rhodij Hiſtoria VIII.

NAturæ Ordine poſt Alas Ouum ſequitur; quum Alata viuentia plurimum ſint ouipara; & ouiparum animal Ouo ſit prius, vt pote perfectum imperfecto. Ouum autem hoc poematium eſt a Simmia Rhodio compactum in effigiem Oui; & ſub Oui nomine, ceu cortice, continet ænigmatice multa ſpectantia tum ad antiquam Hiſtoriam, tum ad Poeſim, tum ad *Phyſiologiam*; quibus autor intendit reuocare diſciplinarum ſcriptores omnes ad ſtudium *Poeticæ*, male ab iiſdem intermiſſum, ac fere derelictum. Opus inſcriptum, *Encyclopædia ad Ouum Simmiæ Rhodij*. ſcriptum ab Amanuenſe replet in folio chartas VL. incipit, *Poſt Amoris Alas* &c. deſinit, *ad quod aggredimur ſequenti alio Volumine*.

En-

Encyclopædiæ ad Syringam Theocriti Hiſtoria IX.

PRoſequens inter Muſas mitiores Antiquiorum ænigmatica pægnia dilucidare, deinceps acceſſi ad Syringam a Theocrito Syracuſio compactam & inflatam; in qua decore ſatis efformata ad imaginem Fiſtulæ ſepticannis poſtoriciæ, celebrari perſpicio laudes & munera Poetices, ænigmatico ſtylo propoſitis veteribus Hiſtorijs quamplurimis, attinguntur ſimul philoſophicæ contemplationes abditiores, & poeticæ inuentiones a priſco vate; quæ mihi latius explicantur in hac *Encyclopædia ad Syringam Theocriti*; quæ chartis xLII. ab Amanuenſe in folio tranſcripta, incipit, *In Antiquorum ſacrificiorum apparatu* &c. ac finit, *ad quod accingimur.* Opus deſtinatum Illuſtriſſimo & excellentiſſimo D. D. Nicolao ex Comitibus Guidijs a Balneo Marchioni Montis-belli &c. paratum eſt typis Lutetianis.

Encyclopædia ad Fiſtulam Publilij Optationi Porphyrij Hiſtoria X.

DEnique vero Fiſtulam poeticam ſimiliter ad imitationē Theocritææ Syringis, a Publilio Optatiano Porphyrio verſibus hexametris litterarum numero ſemper vnitate decreſcente decore compactam Encyclopædia quadam pariter explicare conatus, finem impoſui priſcorum hiſce Technometris obſcurioribus explicandis. Opuſculum laudes organi Muſici Paſtoralis ex hiſtoria poetica mire depromens mea commentatione cultum: in qua ſimiliter attigi vetuſtiorum alia Figurata Carmina, quæ cognominata fuerunt ab Autoribus, Orphei Sphæra, Thronus, Labyrinthus, & Peplus, ſiue Pallium Ariſtotelis Poetæ. Libellus *Encyclopædiæ ad Fiſtulam Publilij* nomine donatus, manuſcriptus in folio chartarum xvIII. incipit, *Syringis Poematium*, & finit, *veri cognitio prouenit.* Opus deſtinatum inclyto viro Caſſiano a Puteo equiti litteratiſſimo.

Encyclopædiæ Miſcellanearum eruditionum Hiſtoria XI.

MVſis amœnioribus quum libellis octo ad Antiquorum Figurata metra dicatis me ſatisfeciſſe cenſerem, iuxta Steſichori prouerbium Πάντα ὀκτώ, *omnia octo*: me tamen Bacchanales feriæ pertraxerunt ad Enneadem opuſculorum; quare nona quadam Encyclopædia, *Miſcellanea Eruditionum* inſcripta, plurima veterum autorum difficilia loca declarare tentaui. Libellus in folio manuſcriptus chartarum XXXVII. incipit, *Qui non ita pridem* &c. & finit, *vitam & actuoſam, & contemplatiuam agentibus*.

Trium librorum de Natura & Efficientia Luminis Hiſtoria XII.

A Multis annis ego nobilem & arduam contemplationē de Natura & Efficientia Luminis aggreſſus; eam, nouis indies emergentibus occaſionibus alia ſcribendi, ſæpius intermittere coactus ſum: tandem improbo labore Diuinis auſpicijs ad exitum perduxi, triplici cultam libro; quorum primus alienas opiniones multiplices diligenter examinat: ſecundus ex propria ſententia Luminis cauſſas omnes, originem, eſſentiam, operationes multas, affectiones quamplures, & omnia propemodum attributa diſcutit exacte: tertius inſignes difficultates circa propoſita contingentes enodare ſatagit. Volumen mole non exiguum, rerum varietate ac difficultate magnum, incipit, *Vt corporeis oculis* &c. finit,

Quæſtionum Peripateticarum Hiſtoria XIII.

INter explicanda publicis prælectionibus Ariſtotelis volumina Phyſiologica, paſſim opportunis locis de more Scholarum ſolitas Quæſtiones agitare non omiſi: eas omnes volumine ſeparato concluſi quatuor libris diſtincto; quorum primus amplectitur Quæſtiones attinentes ad libros de Auſcultatione Phyſica: ſecundus eas tractat, quæ determinantur in libris de Cælo: tertius eſt earum condus, quibus affluit Opus de Ortu & interitu inſcriptum: quartus dicatur Quæ-

ſtionibus

ſtionibus in libris de Anima tractatis. Quas quæſtiones omnes in Peripato diſcutimus ad aures Ariſtotelis, vnamquamque quinque diſtribuentes articulis; quorum primo titulus ac ſenſus quæſtionis explicatur: ſecundo rationes alienæ proponuntur: tertio ſententia propria verioribus argumentis communitur: quarto Quæſtio determinatur: quinto demum alienæ rationes diluuntur.

Commentariorum ad Ariſtotelis libros primum, & Octauum de Auditu Phyſico Hiſtoria XIV.

QVum in Academia Piſana publice Philoſophiam docere deſijſſem anno *a* MDCIX. promotus ad eamdem colendam in Patauini Lycei primo ſubſellio extraordinario nuncupato; in quo prius conſederant *b* Franciſcus Picolomineus, Archangelus *c* Mercenarius, & Iacobus *d* Zabarella, teſtimonio Ricoboni tractantis Hiſtoriam *e* Gymnaſij Patauini; poſt hos inclytos Philoſophos in eadem Sede prælectiones habui ad primum librum Phyſicorum ex inſtituto ſcholarum encyclias annis litterarijs MDCIX-MDCX: MDCXV-MDCXVI: & ad ſecundam ordinariæ Philoſophiæ Cathedrã euectus, MDCXXV-MDCXXVI: Quas prælectiones ad iuſtum volumen redegimus: in quo ſpeciatim diligentem ac propriam habui Procemij ſingularis ſingularem interpretationem. De more Scholarum etiam in Athenæo Patauino publicas interpretationes habui octaui libri Phyſicorũ Ariſtotelis, tum annis Litterarijs MDCXII-MDCXIII: & MDCXVIII-MDCXIX, primam extraordinariæ Philoſophiæ cathedram tenens; e qua docere primũ deſierat Camillus Bellonus: tum prouectus ad ſecundam ordinariæ Philoſophiæ ſedem ſuccedens proxime defuncto Georgio Raguſeio; ante quem id Subſellium illuſtrauerant eodem ordine iidem viri doctiſſimi, Franciſcus *f* Picolomineus, Archangelus *g* Mercenarius, Iacobus *h* Zabarella, & Cæſar *i* Cremoninus; qui ſinguli poſtea vita functis eorum præceſſoribus pro tempore digne promoti fuerunt ad primi Subſellij ordinarij dignitatem. Ego vero quum poſt hæc Philoſophiæ lumina ſecundam Cathedram ordinariæ Phiſiologiæ replere cœpiſſem ex Senatuſconſulto anno Domini

a 1609.
b 1560.
c 1571.
d 1577.
e *lib.* 3.
f 1564.
g 1577.
h 1585.
i 1591.

MDCXXII. menſe Aprili lectiones Octaui Phyſicorum publicas habui; quas recolui poſtea rurſus annis Litterarijs MDCXXVII-MDCXXVIII. & MDCXXXIII-MDCXXXIV. Quo tempore quum ob mortem Cæſaris Cremonini mihi datus eſſet nouus Collega vir Floridus, occaſionem ab eo nactus ſum edendi libros De Natura Primo-Mouente,& De Rationalis Animæ varia propenſione ad corpus, vt k antea notaui. Quæ commentationes ad primum & octauum Phyſicorum, accuratiorem textus Ariſtotelici continent explicationem ex rei natura deductam, & ex ipſomet Ariſtotele, non autem ex vllo Interpretum.

k *lib. 1. hiſto. 23. & 24.*

Commentariorum ad primum librum de Cœlo Hiſtoria XV.

SEd & in eodem Patauino Lyceo quum Phyſiologiam e ſuggeſtu colens primum Ariſtotelis librum de Cælo, ſecundique partem Studioſis explicauerim quatuor annis Litterarijs, MDCX-MDCXI, MDCXVI-MDCXVII, MDCXXV-MDCXXVI,& MDCXXXI-MDCXXXII; & quas in anguſtia temporis publicis lectionibus aſſignati comprehendere nequiui, priuatarum adiectu, prælectiones de Cœlo ad Volumen iuſtæ magnitudinis perduxi; eadem methodo Magiſtrum interpretari ſatagens, qua pridem vſus fueram in explanandis libris de Auſcultatione Phyſica.

Commentariorum ad libros De Ortu & interitu Hiſtoria XVI.

CEterum libros de Generatione & Corruptione inſcriptos, quos non ſemel in Piſano Gymnaſio ſum interpretatus,in Patauina Schola quum quater itidem explicauerim annis Studiorum MDCXIII-MDCXIV, MDCXIX-MDCXX, extraordinariam vocatam Cathedram tenens; ordinariam vero Philoſophiam colens annis MDCXXII-MDCXXIII,& MDCXXVIII-MDCXXIX. Quorum librorum primum quidem fuſius explicaui,ſecundum autem ob publici temporis anguſtiam compendioſa declaratione colui: Commentatio tamen ad effatu dignæ magnitudinis volumen excreuit.

Commentariorum ad primum librum Meteorologicum Hiſtoria XVII.

PIſanam Academiam dum ego colerem, ex inſtituto Gymnaſij primum Meteororum librum Ariſtotelis non ſemel interpretatus fui Scholaribus e ſubſellio publico: quas prælectiones ad inſignis amplitudinis volumen redegi, quo textus Ariſtotelici diligenter explicantur.

Commentariorum ad libros Ariſtotelis De Animæ Hiſtoria XVIII.

COnſimiliter in Patauino Peripato libros Ariſtotelis de Anima publicis lectionibus quum explicaſſem, primũ quidem, & magnam ſecundi partem annis Academiæ MDCXIV-MDCXV, & MDCXX-MDCXXI extraordinarius Philoſophus; & MDCXXIII-MDCXXIV, MDCXXIX-MDCXXX. ordinarius: tertium vero prius extraordinarius annis MDCXI-MDCXII, MDCXVII-MDCXVIII; deinde ordinarius Philoſophus MDCXXVI-MDCXXVII, & MDCXXXII-MDCXXXIII. Has contemplationes in duo volumina congeſſi non paruæ molis.

Commentarij ad libellum de Senſu & Senſili Hiſtoria XIX.

IN Piſana quoque Sapientia Philoſophus extraordinarius agens explicaui publicis lectionibus non ſemel magnam partem opuſculi Ariſtotelis de ſenſu & ſenſili; nec enim vnquam mihi datum eſt in anguſtia publicarum lectionum volumen vniuerſum interpretari; Liber tamen non aſpernandæ magnitudinis eſt.

Commentariorum ad Analyticos poſteriores Ariſtotelis Hiſtoria XX.

ANtequam ad Philoſophiæ Naturalis cultum publico docendi munere promouerer, Iuuenis in Piſano Gymnaſio per integrum quinquennium Logicæ ſtipendia merui; Libroſque geminos Ariſtotelis Analyticos Poſteriores

alternis annis Adoleſcentibus publice ſum interpretatus: Quas prælectiones in vnum volumen digeſſi.

Opuſculorum Logicorum Hiſtoria XXI.

VErum intra domeſticos parietes priuatis lectionibus Tyrones iuuare ſtudui breui declaratione *Prædicabilium Porphyrij*; quibus adijcienda eſſe duo demonſtraui, *Singulare* nimirum, atque Tranſcendens appellatum, a *Porphyrio* breuitatis ergo prætermiſſa; quæ tamen longe diuerſam a vulgatis illis quinque *Porphyrianis* habent prædicandi rationem, *Prædicamentorum* etiam, & *Perihermenias* operum Ariſtotelicorum breuem explicationem habui diſtinctis opuſculis: Quin & ex libris *Prioribus* Analyticis Ariſtotelis Inſtitutionem ſyllogiſticam vberiori paullo diligentiorique tractatione decerpſi: Quæ ſimul opuſcula ſi componantur, volumen efformabunt iuſtæ magnitudinis.

Laurearum Philoſophiæ, ac Medicinæ tam in Piſano, quam in Patauino Lyceo collatarum Hiſtoria XXII.

QVum & in Piſano, & in Patauino Gymnaſio Promotor plures ſtudioſos Doctoralibus infulis exornauerim, oratiunculas non paucos apud me in Muſæo vidiſti (Naudæe) quæ propoſiti teſtimonia præbere poſſunt; has non ſemel hortatus es vt in opuſculum conferrem, ac publici iam vſus efficerem; eas, multis amiſſis, neglectiſque, ad quinque decadum numerum collectas in volumen redegi; quod fortaſſe ſtudioſis non erit inutile, aut iniucundum.

De Methodo, qua ſuperiores libri conſcripti fuerunt Hiſtoria XXII.

POrro quemadmodum in condendis lectionibus ad Ariſtotelis contextus ea mihi ſemper fuit in vſu methodus, vt explicandi textus primum Interpretum ſingulorum explicationes accurate legerim, quotquot mihi ad manus peruenire potuerunt, pro ratione temporis vetuſtiores antea voluens;

voluens; & ſummam ſententiæ vniuſcuiuſque deſcribens: deinde perlectis omnibus tam Græcis, quam Arabibus, & Latinis, eorum explicationes adinuicem comparare conſueui; ex quarum collatione plerumque mihi ſuborta fuit occaſio nouam interpretationem afferendi; & aliquando cuipiam illarum vni adhæſi, quæ mihi viſa fuit cum veritate conſentire. Semper tamen Ariſtotelem ex ipſomet Ariſtotele declarare ſtudui, vnum Philoſophi textum ex alijs Magiſtri locis explicans, & vniformitatem doctrinæ maximopere procuraui. Sic in cōſtruendis operibus alijs a textuum explicatione, præuideo quicquid alij de propoſito ſcripſerint, ex Ariſtotelis *a* præſcripto: deinde materiam ad certa capita ſubordinata digero; & ſingulas partes tractationis communire ſatago rationibus ex Ariſtotele, reique natura deductis. Tali methodo conſtruxi ſingula volumina ſuperius allata, ſic & alia ſcripturus, ſi quando mihi contigerit ad alia ſcribenda deinceps animum appellere. a 3.*met.t.1.*

Ordo, quo digeri poſſunt omnes libri ante allati ad certas claſſes Hiſtoria XXIV.

HActenus inter libros a me conditos ordinem obſeruaui temporis, quo ſinguli vel inuulgati, vel a me ſcripti fuerunt: ſed ſi forte quis ordinem materierum tractatarum, vel doctrinæ in eis requirat; non difficile fuerit ipſos ad certas claſſes redigerere: quarum

Prima Claſſis contineat Opera Logica, quæ ſunt

1. Ad Prædicabilia Porphyrij opuſculum I.
2. Ad Ariſtotelis Prædicamenta Opuſc. II.
3. Ad libros Perihermenias Opuſc. III.
4. Inſtitutio Syllogiſtica ex lib. Priorib. Analyticis excerpta. Opuſc. IV.
5. Commentaria, ſeu Prælectiones ad Ariſt. Poſteriores Analyticos lib. II.

Secunda Claſſis habeat Opera Philologica, ſeu eruditionum, quæ ſunt

6. Encyclopædia ad Aram Nonarij Terrigenæ,
7. Encyclopædia ad Altare Lemnium Doſiadæ,
8. Encycl. ad Aram Pythiam Publilij Optatiani Porphyrij

9. Encycl.

9. Encycl. ad Securim Epei à Simmia Rhodio cōſtructam,
10. Encycl. ad Alulam Amoris a Sim. Rhod. compactam,
11. Encycl. ad Ouum Simmiæ Rhodij ænigmaticum,
12. Encycl. ad Syringam Theocriti Syracuſij,
13. Encycl. ad Fiſtulam Publilij Optatiani Porphyrij,
14. Imitationes Figurati Metri a Simmia Rhodio inuenti,
15. Varia Heroum noſtri tempori Elogia,
16. Scholium de Camelo Bulla,
17. Laurearum Philoſophico-Medicarum Decades, &
18. Eruditionum Miſcellanea.

Tertia Claſſis complectatur Opera Phyſico-Mathematica, quæ ſunt

19. De Nouis Aſtris & Cometis,
20. Controuerſiæ de Cometarum attributis, &
21. Hydrologia Peripatetica.

Quarta Claſſis comprehendat Commentaria Phyſiologica in Ariſtotelem, quæ ſunt

22. Commentaria ad primum, & octauum librum de Auditu Phyſico,
23. Prælectiones ad Ariſtotelis libros de Cœlo,
24. Explicatio duorum librorum De Ortu & interitu,
25. Lectiones ad primum Meteororum,
26. Commentarius ad tres libros de Anima, &
27. Expoſitio libelli de Senſu, & ſenſili.

Quinta Claſſis obtineat Opera Philoſophica, non commentaria, quæ ſunt

28. Quæſtiones Peripateticæ,
29. De Intellectu Agente,
30. De Immortalitate Animorum,
31. De Natura Primo-Mouente,
32. De Animarum coextenſione corpori,
33. De Natura, & Efficientia Luminis,
34. De Vita,
35. De Ortu animæ humanæ, &
36. De Spontaneo Viuentium Ortu.

Sexta Claſſis comprehendat libros miſtæ doctrinæ, qui ſunt

37. De Lucernis Antiquorum reconditis,
38. Allegoria Peripatetica De Generatione, Amicitia, & Priuatione, ad antiquiſſimū Epitaphiū *Elia Lelia Criſpis*, &

Py-

39. Pyronarcha, ſiue de Fulminum Natura; deque Febrium origine.

Septima Claſſis numeret libros Philoſophico-Medicos, qui ſunt

40. De his qui diu viuunt ſine alimento,
41. De Anima ſubiecto corpori nil tribuente; deque ſeminis Vita, & efficientia primaria in conſtitutione fœtus,
42. De perfecta conſtitutione hominis in vtero,
43. De Monſtrorum cauſſis, natura, & differentijs, &
44. *P*eripatetica, Medicaque placita.

Octaua claſſis retineat libros Philoſophico-Medico-Theologicos, qui ſunt

45. De varia *P*ropenſione rationalis animæ ad corpus,
46. De Analogia Mundi & Hominis,
17. De Gradu *P*ietatis Ariſtotelis erga Deum, & homines,
48. De Ferijs Altricis Animæ.

Peroratio totius Operis. Hiſtoria XXV.

HÆc ſunt, inclyte Naudæe, quæ de libris proprijs tam editis, quam nondum prælo ſubmiſſis, in præſentia tibi ſcribere poſſum. Tu pro tua humanitate æqui bonique conſulas fœturam hanc, quam iteratis precibus extorquere a me voluiſti. Vale. Patauij. Dat. in Muſeo noſtro. die xxv. Iunij. MDCXXXIV.

FINIS.



APPRO-

APPROBATIONES SVPERIORVM

Prȩſens opuſculum de Propriorum operum Hiſtoria Perilluſtris ac Excellentiſſimi Domini Fortunij Liceti Genuenſis in Patauino Lyceo Philoſophi Ordinarij, cuius initium eſt, En tibi &c. & finis, a me voluiſti. &c. in folio Chartam 35. fuit viſum & approbatum Paduȩ per me Fratrem Antonium a Lendenaria Inquiſ. patauinum pro Impreſſione.

Ita ego Fr. Ant. a Lend. Inquiſ. qui ſup. manu propria.

Ho veduto, e letta la precedente compoſitione intitolata, Fortunij Liceti Genuenſis, &c. De ptopriorum Operum Hiſtoria Libri Duo. In quella non ſi contiene coſa alcuna contra Principi, o buoni coſtumi; & ſi può laſſar ſtampare. Coſi atteſto Io. Fr. Fulgentio de Serui.

Girolamo Soranzo K. Pr. & Reformat.

Girolamo Cauazza Secret.

SPECIAL 93-B
4290

5e00

PECIAL 93-B
4290

WITH:
93-B 4296
93-B 5252